IO.

HENRICI AVBERII

BORBONII,

E SOCIETATE IESV


CYRVS.



TOLOSAE,

Ex Officina Typographica Viduæ I. Colomerij.

M. DC. XIX.



ILLVSTRISSIMO D. D.

ÆGIDIO LE MASVYER,

SVPREMO SENATVS TOLOSANI PRÆSIDI. S.



QVOD mihi gaudeam, immò quòd potiùs erubeſcam, cauſa mihi haut leuis neque exigua eſt, (PRAESES AMPLISSIME) dum quæ à me ſcribuntur & libenter legis, & patienter audis, nec obſcurè probas. Nomen certè obſcuri hominis illuſtri hâc tuâ ſcriptorum ſuorum commendatione haut mediocriter illuſtrari potuiſſe, nec vllum famę ore tuo conciliatę periculum pertimeſcere debuiſſe facilè mihi perſuaderem, nî illa publicis oculis & auribus committenda non modò iudicares, verùm etiam imperares. Quòd iudicas, quis non probet? quòd imperas, quis non reformidet? Nauis enim quæ in in flumine magna eſt, in mari paruula eſt; & cùm in illo tuta ſit, in hoc non poteſt non periclitari. CYRVM meum

iamdudùm expectas, expetis, expoſcis, & verò iure potiore tuum; cuius auſpicijs & ornamentis in ſcenam prodeuntem Tolosa frequentiſſima ſpectauit, & laudauit. Quem tantî etiam facere judicij tui prærogatiuâ dignatus es, vt ab Vrbis ſcena, in Orbis theatrum qui mitteretur, dignum cenſueris; atque extemplò mitti iuſſeris. At enim cùm ſcenicum ſuum Apparatum quô maximè conſpiciendum ſe exhibuit, vehere ac circumferre non ei liceret, erubuit nuditatem & exhorruit; ſed cùm profectionem vrgeres, vix modicum temporis ad oris ſermoniſque cultum impetrauit. Sed & alia grauior moræ trahendæ, immò latebrarum quærēdarum cauſa fuit. Verebatur enim ne ſi hoc dumtaxat habitu conſpiceretur & perlegeretur, ipſe periculoſius longéque ſtrictius Oculorum, quàm dum ageretur & pronunciaretur, Aurium iudicium eſſet experturus. Τὰ γὰρ δι' ὀμμάτων φαινόμενα πιστότερα ἢ τὰ δι' ὤτων δοκεῖ. Multa videlicet aduertunt, obſeruant, & relegunt Oculi, quæ præterlabuntur Aures. Moram certè diuturniorem huic fœtui meo diligentiùs expoliendo & elegantiùs adornando peroptaſſem, vt & Tibi gratior (Praeses hvmanissime) videretur, tum ſecurior ſeueriorem Cenſorum virgulam euitaret. Sed quò vocaſti, quò impuliſti, ἀπροφάσιστ' ἐκ προθυμίας aduolat. Principum imperia odêre moras. Sat ornamenti è tui illuſtris nomi-

nis, quod præ se fert, titulo; sat præsidij etiam aduersùs TOMYRES ab imperij tui, quò fretus prodit in publicum, auctoritate sibi fore confidit. Vale. Tolosæ 8. Cal. Decemb. Anno salutis humanæ, CIↃ. IↃC. XVII.

Tuæ Celsitudini addictissimus,
IO. HENR. AVBERIVS.



EIDEM PELECANVS SVVS.

I.

MAXIMVS *augustà Themidis quòd in æde Sacerdos*
MASVERI *venerande, sedes; quòd publica iusto*
Iura Tolosanis libras examine terris:
Quódque stat, & nullis quassata Ocitania nutat
Turbinibus bellorum, aduersantésque reuulsà
Relligione ligas populos, placidáque quiescunt
Pace inter sese iuncti; quòd Pallados artes;
Quòd Pietas; quòd sancta Deûm delubra coluntur;
Quódque nouis surgunt Vrbis decora incrementis;
Hæc aliàs; vocat ille tuis qui Insignibus hæret
Exanimes animans PELECANVS *sanguine pullos.*

II.

ILLE *meis modò carminibus celebrabitur Ales,*
Vera tui effigies animi, quem Numina Vestris
Stemmatibus posuisse putem; sic nota futuros
MASVRIAE *vt Pietas gentis transmitteret annos.*
Quid prius? an formam memorem? quà corpore toto
Armigerum Iouis ille refert? quantúsque per alas
It color, in collum aduersos vbi Cynthius ignes
Torserit, & totum radianti afflauerit ore?
Non ita fulget auis pictis Iunonia pennis,
Quàm vario ornatur distinctus honore colorum
Exanimes animans PELECANVS *sanguine pullos.*

III.

LEVCOPHAEIS *fuluum pennis intermicat aurum;*
Ardentes fulgore oculi, ceruíxque recuruas
Singultu querula ora sonant; innoxius vnguis;
Cætera non Aquilæ absimilis; nec dispar honore
Aeternæ volucri, Solis quæ sola cubile
Nouit, & ignotas reliquis animantibus oras
Vna colit, vitámque nouum transfundit in æuum.
Terrarum hic commune solum fugit, & vaga cœlo
Nubila trans-volitat; volucrum importuna perosus
Agmina desertis nemorum meditatur in antris
Exanimes animans PELECANVS *sanguine pullos.*

IIII.

HAEC *dum vasta vagis solus loca peruolat alis,*
Innumera è Libycis erumpere spectat arenis
Agmina Serpentum, Phariisque insidere terris,
Pestifer æstifero quos inuehit Auster ab axe.
Quantus vbi gelidis Aquilonis inhorruit æther
Flatibus, Æmonium cumulus niuis obruit Ossam:
Aut quàm densâ etiam maturas grandine fruges
Iupiter iratus terris quatit æthere ab alto.
Hos longo aggreditur metuenda Ciconia rostro,
Cui comes horrendâ monstrorum strage cruentus
Exanimes animans PELECANVS *sanguine pullos.*

V.

ATQVE *vbi Hyperboreæ soluuntur frigora brumæ,*
Et tepidus blandum spirante Fauonius ore
Purpureum mundo Hesperiis Ver reddit ab oris;
Tum soboli pecudum omne genus, genus omne ferarũ,
Atque auium passim secreta cubilia quærunt.
Hæ modò sublimi componunt arbore nidos;
Cœno illæ fingunt, inconcussisque domorum
Affigunt trabibus; plana hæ super æquora texunt:
At quò nulli hominum prospectũ attingere fas est,
Occultis prolem scopulorum excludit in antris
Exanimes animans PELECANVS *sanguine pullos.*

VI.

HIC *dum vitali dirupit hiulca tepore*
Oua suo, salijtque excusso germine proles;
Hanc fouet, & latis tremebundam protegit alis.
Ac ne etiam gelidà Riphæi Aquilonis ab Arcto
Horreat, oppositâ plumarum mole patentes
Occupat hic aditus, totúsque incumbit & hæret.
Vt verò ingemere hanc audit, querulóque petentem
Ore cibos, prædam venatur, & anxius altos
Despiciens oculis saltus, rapit vnguibus angues.
Sic docet hanc primis hostem discerpere ab annis
Exanimes animans PELECANVS *sanguine pullos.*

VII.

PROLIS *at inde suæ tanto inflammatur amore,*
Vt soli ille dapes properet, solíque laboret,
Oblitúsque suì totos macie horreat artus.
Continuò aggestis loca fœta draconibus ambit;
Quos dum spirantes portat, nidóque reponit,
Quærit & inde nouos; trux tum in sua colla resurgēs
Ore venenato soboli vitam eripit anguis.
Vt videt, vt mœstus genitor furit, enecat hostem,
Inque suum rostro pectus conuersus adunco
Commoritur, redimitque suo sua pignora fato
Exanimes animans PELECANVS *sanguine pullos.*

ALLEGORIAE EXPLANATIO.

GRANDE *Tolosani columen, Princépsque Senatus,*
MASVERI, *oblatam ne dedignère tabellam,*
Quâ te sub fictâ PELECANOS *imagine pinxi.*
Illa tua est, nec ficta; Aquilam PELECANVS *adūbrat.*
Tu Socerum toto ore refers & vestis honore.
Desertis latet ille locis; tu turbida vulgi
Castra fugis, maiórque fugâ reuerentia crescit.
Serpentes necat ille; hominum capita impia damnas.
Illi artus rodit macies, tibi pauper opum vim
Deuorat, vt populi redimas pereundo salutem
Exanimes animans PELECANVS *sanguine pullos.*





LECTORI MEO.

Χαίρειν καὶ εὐφρονεῖν.

QVID hoc monſtri? ais. Tragœdiam forma, verſus Epopœïam indicat. Vnde ſyrma iſtud exoticum, nec Tragœdiæ hactenus vſurpatum? Vnde nouus iſte côthurnus? Quô tamdem more, bone Poëta, cuius exemplo, quô denique conſilio jambicis Hexametros ſubſtituis? Verbo ſatisfecerim, ſi mihi ità viſum reſpondero, damnaueris licet. Sed enim modeſtiùs tecum ago. Primùm nouitatem non excuſo; nec tu eam, vt reor, accuſabis; modò ſe ſuâ ratione tueatur. Pleríſq; certè antè nos non minimæ notę viris viſum fuit Iambicum & Hexametrum æqualiter vtrumque Tragœdiæ dari poſſe. Legerant enim Heroïcũ vtrumque æquatis honoribus à Diomede & Terentiano iudicari. At enim quid eſt, quòd Heroïcus à Tragœdiâ cogatur exulare? Horatius quidem à Tragicâ ſcenâ priuatum & ſocco dignum verſum excludit; Túne verò Heroïcum priuatum eſſe dixeris, Deorum Regúmque rebus tractandis conſecratum? An cùm eôdem teſte, Tragicus plerum-


que doleat ſermone pedeſtri, Heroïci carminis maieſtatem dedignabitur? Iam à te quæro, Heroomaſtix, ex animi tui ſententiâ Tragœdiam quid facit? Non verſus, opinor; ſed materia primùm; deinde modus ratióque tractandi. Præclarè idcircò Ariſtoteles in ſuâ Poëticâ cap. 6. res & fabulam τέλος τῆς τραγῳδίας appellauit; Et iterùm principium & velut animam; Ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας. Adeóq; ſequenti cap. 9. docet Hiſtoricum à Poëtâ non in eo differre, quòd aut cum metro dicant, aut ſine eo: ſed in natura & ratione dicendi. Quia licet Herodoti ſcripta ad metrum redegeris; manebit tamen Hiſtoria vt priùs, non poëma. Εἴη γὰρ ἂν τὰ Ἡροδότου εἰς μέτρα τεθῆναι, καὶ οὐδὲν ἧττον ἂν εἴη ἱστορία τις μετὰ μέτρου, ἢ ἄνευ μέτρων. ἀλλὰ τοῦτο διαφέρει, τῷ τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν. τὸν δὲ οὐκ ἂν γένοιτο. Quamobrem & Æſopum Poëtam appellauit Philoſtratus; & Aſinum aureum Apuleij. ſolutam quamdam Poëſim. Lucianum, ſolutum quemdam Ariſtophanem multi ſapiẽter iudicant. Item Soſitheum, & Terpandrũ Rhodios, Xenarchum, & Sophronem, Heliodorum, Achillem, Tatium, & alios ſolutâ ſcriptione Poëmata dediſſe opinantur. E diuerſo Plutarchus homo in diſciplinis graui auctoritate, vt loquitur Aul. Gellius, libello de audiendis Poëtis ſtatuit Empedoclem & Parmenidem in Phyſicis, Nicandrum in Theriacis, Theognidem in ſententijs illis moralibus; addamus & Latinum Lucretium, non Poëmata, ſed verſus tantùm condidiſſe, & ab arte Poëticâ

ſolùm mutuatos eſſe numeros pro vehiculo, vt pedeſtris inceſſus humilitatem effugiant. Quid ergo, inquies, ad Tragœdiam verſus? vt condimentum ad obſonium. Μελοποιΐα inquit Ariſtoteles, μέγιστον τῶν ἡδυσμάτων. Atqui ſaluo obſonio commutare condimentum per omnes coquos licet; Nec in peius audeo dicere commutatum. Nam ſi grauitatem carminis rei grauitati reſpondere neceſſe ſit; iubet me credere Ariſt. Heroïcum firmiſſimum & tumidiſſimum eſſe Metrorum; Iambicum verò admodùm mobile Τὸ γὰρ ἡρωϊκὸν στασιμώτατον καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστί. τὸ δὲ ἰαμβικὸν καὶ τετράμετρον κινητικά; leuiora perinde & minùs firma

Quid quòd nec ſine aliquo exemplo, hoc facimus? Tragici quidem veteres tum Græci, tum Latini non vſque eò Heroïcum repudiarunt, vt non ſatis multos, plerique omnes ſuis Tragœdijs inſeruërint. Noſtrates certè Poëtæ Galli eôdem Heroïco & Poëmata ſua & Tragœdias ſcripſerunt. Sed quis tu qui liberę facultati compedes inijcias? Si tantum mihi arrogare ex liberâ Poëtarum conſuetudine, ſi vt Tragœdiæ ſcribendæ nouitatem; ſic & iudicij tui periclitari ſeueritatem voluiſſe dixero; quocumque tamdem nominis mei ſucceſſu res fiat, qui non populo placere, ſed prodeſſe litterariæ Iuuentuti ex voto & vitæ genere deliberatum habeo atque conſtitutum? Quod porrò genus iſtud Poëmatis, interrogas? ſi Tragœdiam

dixi, nec placet; Tu Tragicam Epopœiam, ſeu mauis, Epicam Tragœdiam nuncupa, per me licet. Denique ſi quid heic à me peccatum adeò grauatè fers, & excuſationem non capis, pignúſque vis: dabo in compenſationem vnîus Epico-tragœdiæ, ſi volent, quibus Velle meum permiſi, plures, quas penes me iam ſcriptas habeo, Iambico-tragœdias. Vale.





ARGVMENTVM.

CYRVS *Perſarum Rex expeditionem meditatur in Maſſagetas. Araxem traijcit. Hunc cōtrà* TOMYRIS *Regina* SPARGAPISEM *F. cum exercitu mittit; qui* CROESI *conſilio, à Perſà dolo circumuenitur, & capitur. Mater orbitatis dolorem non in lachrymas effundit; ſed in vltionis ſolatia intendit. Recenti victoriâ exſultantem, & fraude nuptias prætexentem Perſam, Regni aliàs ſeruandi ſimulatâ diffidentiâ, & pronæ in eius imperia voluntatis fictâ ſignificatione, paribus inſidiarum dolis & artibus, præſertim muliebribus intercipit. Eius copias ad internecionem cadit.* CYRVM *obtruncat. Caput in vtrem interfectorum ſanguine repletum conijcit cum hâc exprobratione crudelitatis,* SATIA TE SANGVINE, QVEM SITISTI; CVIVSQVE SEMPER INSATIABILIS EXSTITISTI.

PERSONAE.

PERSARVM.

CYRVS, Rex.
CAMBYSES, Cyri F.
CROESVS, Rex Lydorum.
CYBARES, Dux Perſa.
HYSTASPES, Dux Medus.
ARSACES, Legatus.
DIMANTES, Magus.
BAGOPHANES, Eunuchus.
MEGABYZVS, Harpagi Leg.
ACHÆMENES, } Exploratores.
ORONTES, }
CHORVS.

MASSAGETARVM.

TOMYRIS, Regina.
SPARGAPISES, Tom. F.
AMASTRES, } Duces.
PROXASPIS, }
ACHARSIS, }
MARSAGETES, Legatus.
ZAMOLXIS, Sacerdos.
ARASPES, Miles.
SCOPASIS, } Exploratores.
TANAIS, }
ARAXES. Fluuius.
CHORVS.

AMAZONVM.

ALAZO.
HARPALICE.
CARDAMYLE.
CLEONICE.
CHORVS.



PROLOGVS.

DEVICTAS *Perſarum acies, horrendáque Cyri*
Funera, & audaces ad bella remiſſa coactos
Maſſagetas, iuſtóſque vltrice in Matre dolores,
Atque indignatum pontis graue pondus Araxem
Mæoniâ reſonare tubâ furor excitus alto
Pectore mentem agitat. Vos ô ſanctiſsima Vatum
Numina, Muſæ Heliconiades, ſeu vos ſacra Pindi
Culmina, ſeu bifido cœlos qui vertice lambit
Mons fouet, aut gelido Cyrrhæ reſidetis in antro,
Veridicâ vnde ſonant ſignata Oracula fronde,
Conceptóque calent vatum præcordia Phœbo,
Pandite nunc mihi veſtra Deæ templa, oro, ſacróſq;
Pandite Hianthææ latices Aganippidos vndæ.
Túque Heliconiadũ genitrix, quæ tempora noſti,
Mnemoſyne (neque enim Lethæis inclyta mergi
Facta vadis pateris) longo obſita puluere Vati
Suggere, nè grauibus noceant obliuia cœptis.

Si modò nunc mihi, Diua, faues, veróſque recludis
Magnanimi caſus Cambyſiadæ, vltima nolim
Aſtyagæ repetas veteris primordia curæ;
Non immanis aui imperium, patrijsque nepotem
Projectum laribus, prædam alitibúſque iacentem,
Quem paſtoritio Canis enutriuit in antro:
Vtque ætate, animíſque & robore corporis auctus,
Vix niueas ſignante auro lanugine malas,
Crimen aui vlturus, ſceptro hunc ſpoliauit auito,
Fatorum decreta explens; vt Medica Perſis
Tranſtulit imperia, & latè dominatus Eoos
Edomuit populos, Seráſque, Arabáſque, vagúmque
Qui Tigrin Euphratémque bibunt, quóſque adluit
arcto
Flumine Iordanes, & rura feracis Idumes,
Atque Semiramiam victor Babylona ſubegit.
Te Crœſo fatalis Halys, populatáque ferro
Lydia prætereo, vóſque, ô pulcherrima quondam
Tecta Halyattiadæ Sardis, quas Perſica flammis
Perdidit ira ſuis; Lydo nec turbidus aurum
Sanguine Pactole heic memorabere; nec tua vinctus,
Cyre, triumphalis Crœſus pars maxima pompæ.
Hæc alius. Cœpti meta hæc mihi carminis eſto
Fortunæ inconſtantis opus, totâque tremendus
Aurorâ, innumeríſque elatus ab orbe tropæis
Victor fœmineis domitus Cambyſius armis,
Sanguineíque caput demerſum fluminis vtre.
Tantæ exarſerunt animis muliebribus iræ!



ACTVS PRIMVS.

CYRVS CYBARES. HYSTASPES. CROESVS.

ARMENIOS *superaui apices, rapidísq; rotantem*
Saxa retorta vadis, indignatúmque coëgi
Roborei arcta pati tamdem iuga pontis Araxem.
Quid totis fremere imperium contrà audeat vndis?
Quid contrà temerè insanos attollere fluctus
Audeat? aut quæcumque cauo sub gurgite torpent,
Monstra vomat, laxísque vagos se fundat in agros
Littoribus? Quid si? tumidúsne potentia Gyndes
Nostra fugit, mille exiguos quem iratus in amnes
Dissecui, siccas cuius modò calcat arenas
Fœmina, & in Gynde attonitus petit aduena Gyndē,
Nostræ ingens monumentum iræ, iustíque doloris?
Expauit, sæuæque Euphrates verbera dextræ
Horruit, imperiúmque oris simul hausit, in altam
Præcipitauit aquas fossam, latuítque profundo,

Peruia Persarum agminibus tum claustra relinquẽs
Fidentem nimiùm validis Babylona reclusit
Mœnibus, & Cyrum Assyrias admisit in arces.
Tarda cadaueribus Lydorum errare fluenta
Frustrà questus Halys, tortos frustrà in mea fluctus
Assurgens castra euomuit, quos sanguine tinxi
Cæsorumque obstruxi armis, pronâque iacere
Fronte Paphlagoniјs vidit Crœsi agmina campis.
Regna etiam capto cessère Halyattica Rege.
Qva *mihi Massagetûm gens expugnabilis arte,*
Hic summus labor, hæc domiti palma vltima Mũdi,
Vnde rotas Titan superos attollit in orbes.
Cyb. *Maxima res effecta, simul vada strauit Araxes*
Impositúmque tulit iacto altè robore pontem.
Vinxisti fluuium, certò iam Marte propinquum
Sauromatam vicisse fuit. Felicius vllum
Non tibi, quò tu cumque pedem, Rex maxime Regũ,
Impressisti olim victor trepidantibus oris,
Contigit augurium. Quò se, vt superauimus amnem,
Præsidio gens illa tegat? cui nulla profundis
Mœnia vallantur fossis; nullo aggere fossæ
Cinguntur; nullis armantur mœnia pinnis;
Nullæ præruptis defixæ montibus arces
Aëria excelsum caput inter nubila condunt;
Nullæ vrbes; tenui sed operta mapalia culmo,
Errantésque domus, & tecta trementia plaustris.
Stabit? Hyperboreis antè hic sese occulet antris,
Arctoâque teget trepidus niue, Persica rectis

Luminibus quàm signa ferat, stridente sagittâ.
Quâ tantum valet,, & lepores in montibus altis
Insequitur, residésque ferit fortè arbore turdos,
Ocyùs, atque ipso doctus fugere ocyùs Euro.
HYS. *Sic fugit hic, quẽ tu trepidi, Dux magne, timoris*
Arguis, antiquis qui postquam finibus olim
Cimmerios pepulit populos, patrium agmine facto
Ruptísque obijcibus, quà spem fortuna secundis
Erigit auspicijs, quà spe victoria mulcet
Attollítque animos, Tanaim transmittit, & omnem
Latè Asiam victor subigit; Medúmque superbas
Ostentantem acies, raptísque potentis ouantem
Exuuijs Asiæ, quam Marte subegerat antè,
Caucaseâ sub rupe fugat, fundítque, domátque,
Vincláque Medorum victor ceruicibus indit.
CYR. *Tantáne Sarmaticæ fuit vnquã gloria gentis?*
HYS. *Inde per Armenios vaga fundẽs agmina mõtes*
Compactis vastum trabibus transmisit Araxem:
Quotquot & Euphrates, quotquot Tigris alluit oras
Peruolitat, rumpítque arcti claustra ardua Tauri.
Hinc Syriã ingreditur, veterísq; opulenta Damasci
Mœnia Marte domat, Phœnicumq; inclyta vastat
Littora, Sidoniásque domos & Agenoris vrbem
Diripit, & pulcræ palmas succendit Idumes.
Iámque Paretonij stagnantia flumina Nili
Intrat, & angustas multo subit agmine fauces,
Fœcundos populatur agros; sed grandia cursus
Munera Psammitichi tardant; quæque ipse tueri

Armis non potuit, donis sua regna redemit.
Rex, hostem ne temne Scytham: nec si tibi certet
Viribus inferior. Solà victoria quæ spe "
Nititur, incerta est. Nutat fortuna, gradúmque "
Mutat, & instabili circum vaga voluitur orbe. "
Sæpiùs imbelli fortis superatur ab hoste. "
CYR. *Non, si certa etiam pugnæ victoria constet,*
Ipse autor mihi Martis ero. Non milite, sed res
Consilio peragenda priùs: mihi sistite Crœsum.
Nota mihi dudùm Lydi prudentia Regis.
Non semel ancipiti rerum discrimine certam
Præstitit ille fidem, felíxque fidele recepit
Consilium euentus semper. Tu Lydia quondam
Felici qui sceptra manu, dum fata sinebant,
Crœse, Halyattiadùm genus alto à sanguine Regum
Incertam ancipiti rerum discrimine mentem
Consilio firma: neque enim sententia cordi
Certa sedet, quid agã. Quid ais? Nũ Marte vel arte
Massagetã aggrediemur? CR. *O inconcussa Deorum*
Omnia cui mundi, quà sol vtrumque recurrens
Circumagit curru Oceanum, olim regna voluntas
Destinat, ô Crœsi victor, felicius à te
Cui vinci fuit, & Domino seruire potenti,
Quàm Lydos premere imperio, auratásque tenere
Quas Hermus rotat, & Pactolus ructat arenas.
O præstans animis Princeps, quantùm ipsa benigno
Hactenùs adblandita tibi est Rhamnusia vultu,
Iámq; Scythã aggrederis, tantò accuratiùs æquũ est

Prospicere, & varios bellorum expendere casus;
Nec temerè indomitam Mauorte lacessere gentem.
CYR. *Massagetûmne adeò genus insuperabile bello est?*
CROE. *Horrida præcipuè gens est, assueta ferarum*
Venatu, nemorúmque vmbrosis saltibus errans.
Conuectare iuuat prædas, vicináque fœdis
Arua latrociniјs populari, & viuere rapto.
Non iunctis videas acies concurrere signis;
Insidiјs sed bella gerunt, celsísque tuentur
Montibus, aut vinctis includunt agmina plaustris.
Insidiјs fallam insidias, ludam artibus artes.
Montibus in plana eliciam frustráque latentes
Ponè catenatos vibrabunt spicula currus.
HYST. *Penè tuis iam stat victoria, Lydie, verbis.*
Bella manus poscũt. CR. *Soláſne, Hystaspe, gerũtur* "
Bella manu; sed consilio meliore reguntur, "
Sanguine quæ multo paritur victoria, laudem "
Nullã habet. Intactas prudens sine strage cohortes, "
Quas seruare potest, in aperta pericula Ductor "
Proiјciet? sunt more hominum, non more ferarum "
Bella gerenda. Omnis cadit irritus impetus expers "
Consilij. HYST. *Fera gens Scythica est.* CR. *Sic more ferarum*
Captanda est. HYST. *Longâ Scythicos indagine saltus*
Cingere, Spartanáque cane, Aemonióque molosso
Massagetas agitare paras? Ceruósne fugaces,
Imbellésve putas lepores? Quibus acrior ardet
Pectoribus animus, quorúmque illustria bello

Facta exstant? cognata humeris quos arma fatigant,
Nec contorta leui frustrantur spicula cornu.
Crœse, tui didicêre olim Scythica arma Parentes.
Vt Lydos domuêre, atque Hermi stagna rubentis
Pactolique aureas hauserunt funditus vndas.
CR. *Victorem at vinci docuit sine sanguine Medus.*
CYR. *Crœse, doce.* CR. *Victis victor remeabat ab oris*
Sauromates, Medísque iacens consederat agris.
Ter pœnè hic denos Asiam populauerat annos,
Vt patrio de more vagans, natísque parentes
Immensísque domos opibus, culta arua colonis
Orbat, & horrendis incestat stragibus vrbes.
Seruitij impatiens Medus, fusique suorum
Sanguinis vltor adest, delinitúmque benigno
Massagetam hospitio capit. Instauratur apertis
Læta dies epulis; somno vinóque sepultus
Obtruncatur atrox hostis, totâque fugantur
Relliquiæ ex Asia. Heic inuicta Ciaxaris inter
Enituit cunctos virtus, Scythicóque redemptum
Sanguine, gazam omnem libertatémque reposcens
Reddidit imperium Medis, longúmque potitus
Transtulit Astyagi; genito tibi sanguine Natæ,
Rex, dedit Astyages, successorémque reliquit.

BAGO

BAGOPHANES. CYRVS. MARSATES. Tomyridis Legatus.

Massagetûm heic Orator adest à Principe missus.
CYR. *Pacē oraturine Scythæ venistis an arma?*
MARS. *Rex genus egregium Astyagis, cui fortia facta*
Aeternum peperēre decus, totâque tremendus
Aurorâ qui victor ouas, inuicta Scytharum
Regina, Hyrcanis quâ nemo potentior oris
Imperat, exquirit; Quæ vos audacia, Persæ,
Exagitat placidas animare ad prælia gentes.
Sic bellis externa licet perrumpere Regna?
Sic aliena armis rapere, antiquisque fugare
Sedibus indigenas, & auita reuellere sceptra?
Quid resides turbare Scythas? quæ culpa nocentes
Alligat? an patrij vada transmisisset Araxis
Massagetes, prædaque inhians auidusque cruoris,
Caspiacas vltrà præfracto limite portas,
Medorum rapidis vastasset cursibus agros?
Quos populos, quos ille greges armentáue abegit?
Quas ferro flammisque hostilibus eruit vrbes?
Huc te insana tamen dominandi, Cyre, libido
Impulit, vt rupto Regnorum fœdere, fines
Intactæ effringas Scythiæ? iura omnia vertas?
Quare, age, Sarmaticis quanto licet ocyùs oris
Egredere; aut quantis præstet tibi fœmina disces

Viribus atque animis; quô turbine torqueat hastam:
In peltam quanta assurgat: quanta ardeat armis;
Aut validam dextrâ rotet indefessa bipennim.
Est Natus primâ referens ab origine magnum
Protothyam, Madyaque nepos, qui Medica quondã
Persicáque atque Asiæ Marte omnia regna subegit.
Ille licet primâ teneras lanugine malas
Nondũ ornet, puerúmque ferat, formâque decoram
Formosi parili oris adumbret imagine Matrem,
Totum animis, totúmque refert hic robore Patrem.
Cyre, aude conferre manum; spectabit vtrumque
Persáque Massagetésque Ducem: victoria cui fors
Cesserit, hic victo leges dabit; Aspice quanta
Rege sita in Puero est Scythicæ fiducia gentis.
CYR. *Magnanimã illustrémque armis, bellóque potentẽ*
Massagetûm gentem audiui, spectatáque quondam
Totâ Asiâ virtus nostras peruenit ad aures.
Hanc tẽtare placet: domitis neque enim integra Medis,
Lydísque Assyriísque mihi est, Syriâque subactâ
Gloria; Sarmatico palmas in sanguine quæro:
Ni Persam paritérque Scytham connubia iungant,
Et socios Cyri admittat Tomyris hymenæos.
Ipsa meis si fors iussis parere recuset,
Testor ego Superos, Vestamque, Ignemque, Mithramque,
Massagetûm innumero complebo milite campos,
Cernet Achæmenijs collucere omnia flammis,
Succindi siluas, peditúmque, equitúmque coactis
Agminibus, verti sata læta boúmque labores.

Cernet & ipsa suum, cui confidebat, Araxem
Tarda cruentatis euoluere flumina lymphis.
Omnigeno gladium saturabo sanguine, virque
Fœmináque & primis nullo discrimine lactens
Inuisa cum Matre Infantulus occidet annis,
Si fugiat Regina, sequar. Quascunque plagarum
Illa petat, vel Hyperboreis se condat in antris;
Scandat & assiduo horrescentes frigore montes:
Torrentes seu fortè domos Hyperionis alti;
Seu quibus exoritur Mundo, queísue occidit vndis,
Persequar, & Solis scrutabor vtrumque cubile.
Hæc Legate tua referes mandata Scythissæ.
MARS. *Audiet hæc Tomyris.*

CYRVS. CROESVS. CYBARES. HYSTASPES. ARSACES. DIMANTES.

T*Ota tuis Scythicæ incumbit victoria gentis,*
Lydie, consilijs. Nunc quæ sententia menti
Insideat, pande. CR. *haud aliâ, si fortè videtur,*
Quàm proaui quondam superanda Cyaxaris arte.
CYB. *Vtile consilium est, at fœdum. vtamur honesto.*
CROE. *Maiorum damnas exempla?* CYB. *Inimica probarem*
Virtuti? CROE. *Virtus non est prudentia?* CYB. *Crimen*
Virtutem appellas? CR. *Dubium hoc ego crimine Martis*

Discrimen tollo. Cyb. *Virtutem tollis.* Croe. *aperto*
Quid dubiam Mauorte iuuat committere pugnam,
Occulto si certa dolo victoria constet?
Cyb. *Non mouet opprobrium?* Cr. *Non te miseranda tuorum*
Terreret funesta inter certamina cædes?
Cyb. *Quis pulcrâ mortem fugiat pro laude pacisci?*
Croe. *Vincere vis Cybare; vt vincas bellum hostibus infers.*
Cyb. *Non trepidi in morem?* Cr. *Dubijs etiam vtilis armis* "
Est timor. Cyb. *Audaces iuuat, indignata pauētes* "
Sors premit. Cr. *Opprimitur trepido secur⁹ ab hoste* "
Sæpiùs, ambiguis quàm qui pauet anxius armis. "
Cyb. *Indue magni animos potiùs, bone Lyde, Leonis.*
Cr. *Tutiùs insidijs, quàm vi Prudentia pugnat.*
Cyb. *Ferro hostem tentare nefas; sed fallere virtus?*
Cr. *Impius est, quisquis sociū aut qui fallit amicū:* "
Prudens, incautum quisquis circumuenit hostem. "
Hyst. *Consilia hac tua, Crœse, probo: sed enim ardua casses* "
Queis semel irretita fera est elapsáque vitat. "
Exploratores priùs emittantur in hostem
Sarmaticos simulati habitus, grauidúmque sagittis
Suspendant coritum humeris arcúmque sinistrâ.
Pellis membra obeat; Scythicus lateri hæreat ensis:
Inde status rerum referant; quanta agmina; quali

Ordine procedant acies; num plana locorum,
Ardua num obsideant saxis iuga: saltibus arctis
Num perstent; densóque occludant milite fauces.
Felices sperare potest, qui nouerit hostis "
Consilia, euentus Ductor: nec pronior vnquam, "
Hæc simul explorata patent, victoria cessit. "
CYR. *Arsaca, quid sentis? quid tu diuine Dimanta?*
ARS. *Si mea in ancipiti valeat sententia bello,*
Non ego Halyattiadæ damno. Nam si vlla tuorum
Cura tibi, vt magna est, hanc, Rex inuicte, sequere.
Sic trepidum haud modico Persam discrimine solues.
Quid vana offensæ metuas dispendia laudis,
Consilio, si non gladio superaueris hostes?
Bellica consilio meliùs quàm vi geritur res; "
Fortunæ incertos animo reminiscere casus: "
Vtque ferè dubijs semper dominetur in armis, "
Huicque citis præceps victoria adhæreat alis. "
DIM. *Ludendū insidijs. Quid aperto Marte dolosum*
Massagetam tentare iuuat? Tibi fœmina, non vir,
Rex, hostis. Quod victa armis tibi fœmina tantum
Nomen erit? Caue, nostra fidem si dicta merentur,
Nescio quem lauum venturæ præscia sortis
Mens capit euentum, nì Sarmatica agmina primus
Aggrediare dolis. Brutam deludere gentem,
Spōdeo, nullus erit labor. CYR. *Hoc præstabo Dimāta.*
Rem gere, Crœse; tuo Scythici fortuna duelli
Creditur arbitrio. CR. *Ardentes vasto aggere flāmas*
Componi iube, & in cineres mea membra resolue;

Aut laceranda feris trade, alitibúsue; vel ingens
Vindicibus periurum vndis extinguat Araxes;
Nì tua Massagetes veniat sub iura, priùs quàm
Sol Tartessiaco mergat sua plaustra profundo.
CYR. *Hystaspem socium tibi iunge, paríque gerantur*
Omnia consilio. Sic qui me & Persica curant,
Dij mea vota, simul tua, Lydie, cœpta secundent.

HYSTASPES.
ACHAEMENES. ORONTES.

TV, patrios commuta habitus, Scythicósq; repentè
Indue, & hostiles clàm præter labere turmas.
Explora, quid & hostis agat; moueátne cohortes;
Num fixis stet adhuc diffusa per æquora castris.
Adiunge occultis socium tibi rebus Orontem;
Vt si quid, (quæ multa cadunt discrimine tali)
Si quid in aduersum moueat fortuna, sit vnus
Non exspectati referat qui nuncia casus.
ACH. *Fallam opportunè linguáque & vestibus hostē.*
Non ita iam Medum refero, quàm mentiar ore
Massagetam, partes sic sum versatus in omnes.
OR. *Ergo viā ingrediamur, vbi imperterritus ambos*
Hystaspes legit, sórsque hæc in munera iunxit.
Armenij mihi in hos vsus sunt apta Leonis
Tergora, quem vastâ nuper sub rupe iacentem,
Confixi iaculo, spoliúmque immane recepi.
ACH. *Ast ego vtrumq; latus maculosæ tegmine cingā*

Tigridis, abrupti qua dum iuga longa Niphatis
Lustrat hians, nostrâ iacuit confossa sagittâ.

CHORVS.

CAMBYSES. PERSAE NOBILES Adolescentes.

O! *tua regnorum, Pater, immoderata cupido;*
Cui non tot iam Marte subacta
Sufficiunt, expléntque animum: at quò plura parasti,
Plura cupis, neque sanguine lauros
Amplâ emere ex Asiâ, & celebres agitare triumphos
Desinis. Atque excelsa tuarum,
Quocumque ingrederis, monumenta attollere laudum
Vasta stupent cunabula Solis.
Hei! mihi, iam totus patrijs summittitur Orbis
Imperijs. Iam Media seruit.
Persica iam Assyrius patitur iuga. Vidimus ipsum
Luctificâ sub nocte Tyrannum
Purpureo extractum thalamo, immersúmque cruore
Regales fœdare penates.
Heícque auidum Persam, Medúmque immanè frementem
Stragibus, & magnas populantem
Antiquæ Babylonis opes, incensáque flammis
Tecta rutis incumbere tectis.
Iâm vagus Euphrates nostro torrentia latè

Arbitrio sua flumina voluit.
Quique suas comes Euphrati violentior vndas
In nostrum exonerat Tigris æquor,
Fœcundos subiecit agros, subiecit & vrbes,
Quique suos bibit accola fluctus.
Seruitio imperium Crœsus mutauit, Halysque
Vera Dei responsa probauit.
Cyro aureas fundunt Pactolus & Hermus arenas,
Ambrosiósque Timolus odores:
Thura ferunt Arabes, palmas attollit Idume,
Purpureúmque Tyrus vomit ostrum.
Iam Scythiam tenet, hinc gelidā irrūpturus ad Arctō
Occiduis arma inferet oris.
Inde petens Libyam Nili scrutabitur ortus.
Phœbæúmque cubile reuiset.
Sic victor domito Genitor dominabitur Orbe.
Sic terras frænabit & vndas.
Nullum Orbem tibi vincendum, Cambysa, relinquet?
Florentes inglorius annos
Sic olim duces? sic desidiosa superbos
Lydo animos more otia frangent?
Sic modò quæ ignescit generoso in pectore virtus
Torpore exanimata iacebit?
Gloria nulla mea est patrijs quæsita triumphis;
Sola meis mea parta trophæis.
I. PERSA. *Propellēda ætas, animis facta ardua nostris*
Non deerunt, neque gloria factis.
Intempestiuis cœlum vexare querelis

Desine

Desine, luminibúsque coortas
Siste, precor, lacrymas; non intentata manebit
Marte olim tua nostráque virtus.

II. *Macte animis, Princeps, sunt hæc certissima magni*
Signa animi; præcordia flammis
Quæ tua nunc vrit, nostris incendia virtus
Excitat, atque tuo vrimur igne.
Quid querimur? partâ Patres modò laude fruuntur,
Nostrâ olim quoque laude fruemur.

III. *Nondum ætas duris nostra est satis vtilis armis;*
Maiores Mauortia vires
Prælia deposcunt; pueris sine sanguine lenta
Conueniunt vmbracula pugnæ.
Tempus erit, quò puluereâ egrediemur ab vmbrâ,
Armatúmque ruemus in hostem.

IV. *Longa via est Orbis; nec quâ Pater inferet arma*
Imperijs subiecta repentè
Colla dabit tellus; properantem flumina tardant,
Et ruptis iuga pendula saxis.
Sæpè etiam ancipiti certandum est Marte. quis vnquam
Sponte suis discessit ab aruis?

V. *Quod vitæ precium est, patrijs si pellitur oris,*
Si sobolem vxorémque colonus

Iniustóque Deos si linquere cogitur hosti,
Seruitiúmque immane timetur?
Ille furens animis obstantem viribus hostem
Sæpe fugat, victóque triumphat.
VI. *Persa licet Scythicum superauerit impiger amnem,*
Massagetúmque inuaserit agros;
Non ideò vicisse reor; victoria multo,
Ni mea me sententia fallit,
Sanguine constabit: Curent sed enim ista Parentes;
Cyriades, nos ludicra poscunt.
CAMB. *Eia agite, & celeres patrio de more sagittas*
Aërias vibrate per auras;
Suspensámque altè sublimi è stipite certet
Figere telo quisque Columbam.
Hanc famuli date, & extremo constringite conto,
Dum pharetras aptamus & arcus.
Primus ego aggredior; dein me ordine quisque sequatur
Ritè suos Indonatus abibit
Nemo mihi; iam tendo arcum; iam spicula vibro,
Mithra faue, arcitenénsque Diana.
I. PERSA. *Nam quid ego non te, Princeps, duce & auspice tentem,*
Qui mihi das vires animósque?
Corruptura animos alacer fugit otia Perses,
Et primis Martem appetit annis.

Te ſequor, & totis intendo viribus arcum.
Mithra faue, arcitenénſque Diana.
II. *Hanc ego non patriæ pugnam virtutis obirem?*
Si mihi nulla auis arbore pendens
Eripitur? quantâ turget domus? huic ego noſtris
Suppedito venatibus eſcas.
Spero equidem hanc volucri volucrẽ transfigere telo.
Mithra faue, arcitenénſque Diana.
III. *Non mihi dilectus Veneri ſi certet Adonis,*
Nocte Deæque vagantis amores
Endymion, cedam: hunc arcum, pharetrámque ſagittáſque
Atque manum nemora auia norunt.
Non hæc prima mihi volucris confixa ſagittâ.
Mithra faue, arcitenénſque Diana.
IV. *Non lepores denſis latitantes quærere luſtris*
Geſtio; ſed per aperta vagantes
Arua ſequor, iaculíſque moror; nulla hactenùs iſtam
Eluſit pernix fera dextram.
Adſpicite, hâc noſtrâ cadet ales arundine fixa.
Mithra faue, arcitenénſque Diana.
V. *Figo feras, quâ parte volo, ſeu viſcera, ſeu cor,*
Seu iugulum, ſiue appeto frontem.
Bina ego in aduerſam dum ſpicula torqueo ceruam,
Fronti aliàs duo cornua finxi.
Hoc vitam iaculo traiecta Columba relinquet.
Mithra faue, arcitenénſque Diana.
VI. *Aſt ego tergemina Aërias pernicibus alis*

Fortè auras dum tranat hirundo,
Treis ego confixi, telóque hæsere; nec alti
Pressa mei est noua gloria facti.
Certa vnum me palma manet certaminis huius.
Mithra faue arcitenénsque Diana.

CAMB. *Sit satis; at nullì quamuis victoria cessit,*
Est primis sua gloria cœptis.





ACTVS II.

TOMYRIS. ALAZO. HARPALICE. CARDAMYLE. CLEONICE.

ERGO impacatum Perses superauit Araxem,
Indomitásque subegit aquas, & nescia iungi
Opposita imposito cõstrinxit littora põte?
Huccine Achæmeniæ progressa audacia gentis?
Vsque adeò Scythicis iacuit quæ victa sub armis
Victorem elatâ in Dominum ceruice resurgit?
Semiuirum sacros Scythiæ perrumpere fines,
Et sanctos violare lacus impunè tulisti,
Arctoarum ingens, Pater, ô regnator aquarum?
Nonnè tumescentes aduersùm attollere fluctus
Debueras, stratámque vndis euertere molem?
Nonne dehiscenti artifices rapere æquore, & ipsum
Abreptum immani submergere gurgite Regem
Debueras, fluuióque tuas euincere terras?
Sed quid ego queror, immeritúmque lacesso querelis?

Tota mea hæc culpa est. vna huius conscia culpæ
Est Tomyris, clausum Persis reserauit Araxem.
Prodidit hæc hosti Scythiam, ingressúmque parauit.
AL. *Desperanda adeò res est, vertendáque turpi*
Terga fugâ, quòd Persa obstãtem instrauerit amnem?
Præsidium hic equidem summum, tuteláque regni;
Et facili prohibere manu, nè prenderet oram,
Fas fuit, iniectásque reuellere flumine pilas.
Ast vbi transuecti Scythicâ potiuntur arenâ,
Iámque solo impressère pedem, occurramus; & antè
Intima quàm Scythici penetrent penetralia regni,
Instaurentque acies, cuneósque in prælia densent;
Prima tuos oppone globos, Regina, paratúmque
Obijce Massagetam, incautásque exscinde cohortes
Protinùs, opportunum armis dum tempus agit rem.
TOM. *Vos ego, vos Regni socias, viduæque Parentis*
Haud dubia auxilia appello; rerúmque tumultu
Vestrã imploro fidem: neq; enim mihi certa voluntas,
Státque animus, tali statuam quid tempore in hostem.
HARP. *Quid dubitamus adhuc aduersum irrumpere in hostem,*
Et Scythicis procul insultantem expellere terris?
Grande tuis, Regina, probrum est & dedecus ingens,
Cùm tibi nec virtus, animísque superba iuuentus,
Nec validæ deessent tentanda in prælia vires,
Te tamen inspectante, altum traiecit Araxem,
Inuasítque tuas Persarum exercitus oras.
Grande equidem; sed enim non immedicabile vulnus.

Vnde malum, Regina, tibi hinc medicina petenda.
Hostem admisisti Scythiam intra, protinus extrâ
Pellendus, distincta auro dum Medus & ostro
Vix benè dispositis fixit tentoria castris.
Tu modò nè cunctère, iube, Regina, quid optes.
Nam si etiam armatis vnam concurrere Persis
Harpalicen iubeas, prastò est; hanc nulla moratur
Telorum contorta seges, certamina prima
Tentat, & hostiles subit impauida vna phalangas.
Hic animus, Regina, tua quem pectore toto
Accendère faces, virtúsque immota periclis.

CARD. *Quis timor? aut qua vana subit trepidatio mentes?*
Persa pedem impressit Scythia, transmisit Araxem,
Latitiâ exundat totus, potitúrque cupitis,
Certísne? ô! prudens, ô! quis non inclyta laudet
Consilium, Regina, tuum? sapientius vllum
Nec patria vtilius, nec perniciosius hosti
Fingere mens humana potest. Indagine Persam
Cinximus; innexis fera cassibus arcta tenetur.
Hunc nos aduersâ totis dum fronte petemus
Viribus, adductísque in Pelta cornua turmis,
Et iaculis vtrumque latus fodiemus & hastis;
Ipse Pater vitreo emerget tumefactus ab antro,
Qui rapidos tergo fluctus opponat Araxes,
Incestósque hostes vltricibus obruat vndis.
Nam quid Achamenidûm numerosas fortè cohortes
Massageta metuant? Tuus, ô Regina, minore

Massagetes equidem numero stat, sed neque cedit
Viribus, aut animis hosti; nihil acrius acri
Massagetâ: & ventis & fulminis ocyor alis
In pugnam rapitur, rapidóque huc fertur & illuc
Turbine mobilior, grauidámque exhauserit antè
Hic telis pharetram, quàm Persa intenderit arcum.
Ipse sibi innumeris populorum millibus auctus "
Sæpius exitio est, modicâ quàm exercitus alâ. "
Bella animos poscunt non corpora; vi geritur res, "
Non mole aut numero: numerosa copia plebis "
Non vires, sed pondus habet. Titania quōdam "
Cœlestes petere ausa domos sic turba nefandis
Ausibus oppugnata ruit, dum Pelio Ossam,
Aemoniúmque Ossæ imponere tentat Olympum,
Ipsúmque ætherea detrudere ab arce Tonantem.
Quanto certabat fidens numero illa iuuentus?
Quātus Porphyrion erat, Enceladúsque, Mimásque,
Cæúsque, Iapetúsque, Gygésque Typhœus, Echion,
Et centumgeminus Briareus, sæuúsque Ephialtes,
Aegæónque, Othósque, & vastâ mole Pelorus?
Quotquot & incesto portenta immania partu
Protulit in superos Tellus, quos igne trisulco
Iupiter exiguâ Diuûm stipante cateruâ
Phlegrais domuit campis, motísque sepultos
Montibus infernas trusit Phlegethontis ad vndas.
CLEON. *Esto; etiam innumeris populorum millibus obstet*

Massagetûm

Massagetûm inferior numerus. Turbata procellis
Aequora, Hyperboreis Aquilo ſimul incubat vndis,
Spumea non tantos voluant àd littora fluctus:
Non tot littoribus rapido impellantur arenæ
Turbine, puluereàque obducant aëra nube:
Nec tot in æthereis, ſimul intempeſta ſilet nox,
Pensáque conuexo ceſſerunt nubila cœlo
Cœlicolûm nitidi ſcintillent orbibus ignes:
Nec fœcunda ſatis tantûm ſeges horreat aruis,
Vt flaueſcentes incendit Sirius agros,
Quantus Achæmenidûm numerus, quanta agmina, quantos
Ille globos Equitum, & Peditum; Regina, cohortes
Sarmaticas Cambyſiades tranſuexit in oras.
Aude animis, iam certa tua eſt victoria. Nam quid
Te duce Maſſagetæ metuant? quid terreat illa
Aſtra æquans numeris, immensáque ſemiuirûm vis?
Illæ acies leporum, & vani ſimulacra pauoris,
Horrentéſque armis ſtatuæ, tela irrita dextris
Geſtantes, Martíſque vmbra, exanimata virorum
Corpora, inexpleto pecora indulgentia ventri;
Qui neque Maſſagetûm vultus, nec Martia rectis
Prælia ſuſtineant oculis; queis pectora rauco
Cùm primúm inſonuêre, tremunt clangore tubarum.
Aſt vbi curua hilares indixit tibia menſas.
In lautas animoſa ruit turba vndique lances.
Pars frangit calices, pars vino vndantia ſiccat
Pocula; proiectis pars ſeſe ingurgitat eſcis;

Pars ludos celebrat; festas pars læta choreas
Hinc agit, hinc totas anceps trahit alea noctes.
Iam Scytha Persarum numeros exhorreat, ora
Qui cùm sola virùm referant, muliebria gestant
Pectora; fœmineas, sed queis sunt mascula corda,
Vltrò acies stolidi non æquâ sorte lacessunt.
Fœmineis permitte istos, Regina, cateruis.
Et cui fœmineo elata est fiducia regno,
Sentiat hic quæ fœmineæ sint fulmina dextræ.
TO. *Ergo pugnandum, ô Sociæ; mea, vestra voluntas.*
Nulla mora est; verùm rediit Legatus ab hoste.

MARSAGETES. TOMYRIS.

VIdimus & Regem Persarum, & Persica castra
Mygdoniásque acies, fortunatísque Deorum
Auspicijs iter emensi, quascunque pararat
Hinc inde insidias hostis, superauimus omnes.
Vix in conspectum Regis deuenimus, vt quæ
Mandasti, Regina, simul data copia fandi,
Proferimus. Picto ille thoro, celsáque sedebat
Maiestate potens; fulgebant aurea dextrâ
Sceptra manu, intonsos, patrio de more, capillos
Turbinis in speciem Cidaris sursùm acta tegebat,
Candida cæruleo hanc cohibebat fascia vinclo.
Inde humeris talos demissa fluebat ad imos
Obliquis vndans sinibus stola, Medica quondam
Fœmina Achæmenio quam bis violauerat ostro

E Tyriâ inque manus tunicâ per brachia longæ
Pendebant manicæ, & fractos redimicula in armos.
Audierat mandata, thoro vt furibundus ab alto
Extemplò surgit, frontem implacabilis horror
Asperat, ignescunt oculi, vomere incita flammas
Lumina credideris, toto rubor igneus ore
Aestuat & toruæ micat inclementia formæ.
Arctatus rabido vix spiritus exsilit ore.
Vtque loqui passa est violenti pectoris ira,
Terribile in frendens hæc intercepta dolore
Verba dedit.
Magnanimam illustrémque armis bellóque potẽtem
Massagetûm gentem audiui, spectatáque quondam
Totâ Asiâ virtus nostras peruenit ad aures,
Hanc tentare placet: domitis neque enim integra
Medis,
Lydísque Assyrijsque mihi est, Syriâque subactâ
Gloria; Sarmatico palmas in sanguine quæro,
Nì Persam pariterque Scytham connubia iungant;
Et socios Cyri admittat Tomyris hymenæos.
Ipsa meis si fors iussis parere recuset,
Massagetûm innumero complebo milite campos.
Cernet Achemænijs collucere omnia flammis,
Succindi Syluas, peditúmque equitúmque coactis
Agminibus verti sata læta, boúmque labores.
Cernet & ipsa suum, cui confidebat, Araxem
Tarda cruentatis euoluere flumina lymphis
Omnigenò gladium saturabo sanguine, vírque

Fœmináque, & primis nullo discrimine lactens
Infestâ cum matre Infantulus occidet annis.
Si fugiat Regina, sequar: quascumque plagarum
Illa petat, vel Hyperboreis se condat in antris;
Scandat & assiduo horrescentes frigore montes;
Torrentes seu fortè domos Hyperionis alti,
Seu quibus exoritur Mundo, queîsue occidit vndis.
Insequar, & Solis scrutabor vtrumque cubile.
Hæc, Legate, tua referes mandata Scythissæ.
Sic ait, atque minas dextrâ intentauit atroces.

TOM. *Me neque Hyperboreis latitantem quæret in antris,*
Pérque rigescentes æterno frigore montes,
Pérque Austrum, Zephyrúmque Eurúmque sequetur euntem.
Hunc Tomyris fugeret? Tomyrin Persa antè videbit
Ipse suas certantem acies, fusóque suorum
Hanc latè Scythicos mergentem sanguine campos.
Non Tomyri deerunt animi, Scythiæque supremo
Deficiet modò Massagetas discrimine virtus.
Magnanimos sed adesse Duces numerosa trahentes
Agmina Massagetûm adspicio.

PROXASPIS. ACHARSIS. TOMYRIS HARPALICE.

GRauis vrit, Acharsi,
Corda dolor, nullò quòd Persa obstāte profundum
Ponte superposito Scythiæ transmiserit amnem.
Debuit hòc prohiberi aditu, primòque moueri
Litttore, dum aduersas hic hosti opponeret vndas.
ACH. *Amne hosti frustrà superatò audacia crescet.*
Terrarum ille auidus prædo, cui non sua regna,
Non tot rapta sitim exstinguunt, nec mente quiescet
Quàm totum ipse suis summittat legibus Orbem,
Inueniet Scythicis vbi fortè quiescat in oris.
PR. *Semper ego infaustis Reginæ aduersa, tumultu,*
Consilijs ora opposui sensúmque repressi.
Verùm illam video, solitis quam stipat in armis
Pulcer Amazonidum chorus; aggrediamur, Acharsi.
TOM. *Pellendus Scythiâ est hostis, Proxaspi, recusat*
Imperijs parere meis. PR. *Maturiùs ipso*
Debuit arceri ingressu; traiecit Araxem;
Jam Scythiâ potitur. Si qua est spes vlla salutis,
Hæc ferro redimenda, tuísque recumbit in armis.
TO. *Massagetùm Perses animos & robora tentet?*
Tentandus verùm ipse prior; sat limine primo
Hunc fixisse pedem. Rege, dux Proxaspi, cohortes.
Ipsa adero, occurram turmâ comitante sororum

Dextrum ego, tu læuum cornu rege, stabit Acharsis
Agminibus medius ACH. *Medius tibi in agmine toto*
Debetur, Regina, locus, stipabit Amazon
Fida latus, dextrum potius Proxaspi regendum
Trade, mihi læuum, si stat sententia, cornu.
PR. *Sed nec ego dubijs sanctum obiectare periclis*
Te, Regina, caput patiar; Proxaspis, Acharsis,
Massagetûmque Duces reliqui certamina tentent.
Tu Scythici intereà regni interiora secundo
Spargapise, gerimus dum bella, negotia cura.
Quòd si aduersa Scythas primo certamine vinci,
Proxaspinque ferat fortuna occumbere leto,
Fas quamcumque tibi facili reparare ruinam
Marte erit; at non sic, si fors, Regina, sinistro
Eriperère Scythis casu. TOM *Quæ sceptra Scytharum*
Sors dedit, hæc eadem rapto mihi coniuge tollat.
Pro Regno mihi dulce mori; PR. *Te stabit adempta*
Nutantis regnum Scythiæ? TOM. *Succedet adempta*
Spargapises Tomyri. PR. *Nati immaturior ætas,*
Cui nondum teneræ ornantur lanugine malæ,
Non patitur tantæ ferre ardua pondera molis.
TOM. *Quem rego, Massagetes Nato mihi carior.*
PR. *ipsum,*
Sic caput ancipiti Martis dum credere ludo (*ues.*
Non dubitas, perdis. TO. *Perdo?* PR. *Ni te ipsa reser-*
TO. *Ast vbi pugna vocat, quāti est præsētia Regis?* "
PR. *Militis, haud Regis manus est.* TOM. *Et ducere*
Regis, "

Et pugnare ſimul munus. PR. *Quod milite rapto*
Exitium eſt patriæ? ſors eſt vnius. at in Te
Quæ Scythiæ Caput es, Scythiæ ſors tota repoſta eſt.
TOM. *Méne rudes poſitis lanas haſtilibus intrà*
Fumoſos, multà famularum plebe penates
Artifici verſare manu? ſua vilis Arachne
Hæc habeat ſtudia; at tua me, Tritonia, longè
Nobiliora decent, fulgentes ære cateruas
Ducere, & Odryſij ſtudia exercere Parentis,
Caucaſeas calcare niues, innare per amnes,
Exagitare feras iaculis, celeríque fugaces
Per iuga celſa pedum curſu preuertere ceruos.
Nunc rabidas iaculis tigres, nunc ſæua Leonum
Pectora, nunc latera intorto transfigere conto:
Hoſtiles nunc ſtare acies contrà, arma rigentem
Ferre vltrà, quà me belli furor impulit, Arcton.
Iam tuba, iam litui reſonent, diſperſáque vaſtis
Agmina conueniant agris, atque arma capeſſant
Quamprimùm belli ſigna attollantur in altum.
Arma date, ô Sociæ; Perſam hâc ſub Tartam dextrâ
Mittam hodie, aut hanc ipſa animam cum ſanguine fundam. (*armis,*
HARP. *Quæ ſit Maſſagetûm virtus quod robur in*
Perſæ igitur tentare placet? ſic ſpontè laceſsit?
Quærit & in Scythico demerſas ſanguine lauros?
Quod ſcelus inſontes vltrò petere atque quietos
Sollicitare armis, fáſque omne abrumpere bello?
Noſcet hic anguſto immenſum qui pectore Mundum

Non capit, exiguâ totum tellure Scytharum
Posse capi, quémque humani insatiabilis vrit
Sanguinis intantùm furor, exundante suorum,
Atque etiam proprio satiari posse cruore.

SPARGAPISES. AMASTRES. TOMYRIS.
ALAZO. HARPALICE.
PROXASPIS. ACHARSIS. ZAMOLXIS.

QVid modò terrifico strepuerunt cornua cantu?
Quid tuba? quid litui mixtis clangoribus aures
Pulsauère? nouo totam trepidare tumultu
Turbarique armis Scythiam audio? Persáne latum
Agmine præmisso iam traiecisset Araxem?
AM. *Hàc, via quà Regina tenet sua castra, teneda est,*
Ne latè circum effuso cingamur ab hoste.
TO. *Spargapise, opportunus ades, iámq; hostica cōtrà*
Castra aciem admoueo; Perses traiecit Araxem,
Innumeros rapit hic populos; iam proximus instat;
Státque animo conferre manum, & decernere ferro.
Nec quicquam Assyrium, aut Lydum domuisse, sa-
crásque
Expugnasse domos Solymes, altámque Damascum
Sufficit; huic Scythia est armis subigenda, suóque
Imperio adiungenda, suis ni legibus vltrò
Sarmata paruerit, patrijs quódque artibus offert
Coniugium admittam, ferrum flammámque minatur.
SP. *Persa tuos, Mater, thalamos & vitricus ambit*
Esse

Esse meus? nostra hoc speraret fœdere sceptra?
TOM. *Huic thalamum iam sterno, facésque accendo iugales.*
Intereà remorare domi, dum Mater in hostem
Prosilit, & Persa incestos restinguit amores.
Sanguine & opprobrium violati vlciscitur amnis.
SP. *Hac me magnanima, ô Genitrix, certamina poscunt.*
Tu verò innumeris bello illustrata triumphis,
Tot sertis decorata caput victricibus, arma
Quid rursùm tentare paras, pulcrâque recentes
Cingere fronte comas ambis? méne otia turpi
Ducere lenta situ? non si imperióue, minisue
Hoc iubeas, parebo, Parens; non me tibi Natum
Degenerem sic certa dedit Natura; nec ipsam
Spargapises matrẽ Tomyrim, patrémque Scytharcin
Mentitur, dubitas? Sobolem hoc discrimine tenta.
TOM. *Non ego te tantum vitæ discrimen adire*
Spargapise hac ætate sinam. SP. *Sit mollior ætas.*
Gestanda est aptum galea caput; area pectus
Nec lorica grauat; quo robore torqueat hastam
Dextera, quàm certo telum quoque dirigat arcu,
Haut fugit. Hyrcanas quoties stupefactus Amastres
Arte animóque pari vidit me figere Tigres?
Iámque tyrocinium assiduis venatibus egi.
Non labor insolitus frangit, cursúsue natantes
Debilitat sudore artus; non puluere vultum
Fœdari doleo, dudùm tolerare flagrantes

Phœbææ radios facis, Arctoásque rigenti
Sidere iam didici non exhorrere pruinas.
Quid me armorum horror, peditúmque equitúmque catervæ?
Quid tuba? quid litui? quid toruo immanior hostis
Terreat aspectu? quid vulnera? sanguinis amnes?
Quid gemitus? clamor? fuga? quidue hinnitus equorũ?
Qui Tigrides inter versor, quem densa Leonum
Agmina sæpe petunt, quos sponte in bella lacesso.
Quot tibi cæsorum exuuias (meminisse pigeret?)
Quot retuli capita Ismario sacra munera Patri.
Hæc quoque, virgato quam cernis tergore totos
Circumfusam humeros latè, auratísque micantem
Vnguibus in nodum strictim per pectora ductis,
Strata Tigris iacuit iuuenili hoc robore dextra.
Hoc doleo, quo cum, si fas, decernere ferro
Fors feret, haud mihi sit virtute animísque secundus.
TO. *Non tua, Nate tua, Genitrici incognita virtus.*
Spectatus satis est animus; sed mollior ætas,
Discriménque rei, & dubiæ inconstantia sortis
Tantùm animos frangit, tua quantùm audacia tollit.
SP. *Sic tu nunquam vllo Mater tua Marte probabis*
Pignora? TOM. *Regnum agitur.* SP. *Quid tum?* TO. *Grauiora peritum* "
Bella ducẽ poscũt multísque exercitum ab annis. "
SP. *Consilium virtuti adhibe.* TOM. *Iuuenum effera virtus* "
Nõ patitur frenos. SP. *Animos frenabit Amastres.* "

D

AM. *A puero quodcumque petis, præstabit Amastres.*
SP. *Parebo Ducis imperijs.* TO. *Quis Marte furentẽ*
Contineat? SP. *Ducis imperium.* TO. *Quò Nate, tenebis*
Fare, Ducẽ imperio? SP. *Recolam mandata Parentis.*
TOM. *Non Matris, sed Matris erit tibi cura, vbi vecors*
Ira furórque animum, hostili infectúsque cruore
Præcipitem gladius rapiet: Ceu concita venti
Turbine vt Aeoliæ patuerunt claustra cauernæ,
Arcta per Hyrcanos frustrà moderante magistro
Abripitur fluctus cymba; Aut vbi fortè reuulsis
Carceribus rapida campo aufugêre Quadrigæ,
Nequicquam ignarum Dominum patiuntur, vbi acres
Incaluêre animi, currúsque repugnat habenis.
Corrige, Nate, animos. SP. *Sic te pugnante, sedebo?*
TO. *Tempus erit, quò te Mater spectabit in armis.*
SP. *Aut concede; aut hoc transfossus acinace pectus*
Ante pedes Natus, Genitrice auctore, iacebit.
TO. *Siste manum, cedit Genitrix tibi, Nate; negare*
Quod tenues suadent anni, imperterrita virtus
Inuitæ Matri extorquet. Faustis, age in hostem
Progredere auspicijs, Scythicámque vlcíscere gẽtem.
AL. *Sic nondum valido membrorum robore Mater*
Credis Achæmenijs sobolem indulgentior armis?
HARP. *Hæc nos bella decent. Puerum Regina penes te*
Spargapisem retine, dubijs nec crede periclis

Spem Regni, vestris sat erit si bella gerantur
Auspicijs. SP. *Quid tu sancta, importuna Parenti*
Obloqueris? men' concessis reuocabis ab armis?
Quid moror in fidum hoc ferro recludere pectus?
HARP. *Nil Matris concessa moror; tibi consulo, rebus*
Prospicio Scythicis, quarum coniuncta saluti
Vita tua est, vires olim simul auctior ætas
Firmârit, Duce te, tunc tuta in bella ruemus.
SP. *Imbellémne putas, plenos quòd mollior ætas*
Nondum aquis vitæ spatijs formauerit annos?
Nec tentata feri mihi sint certamina Martis?
Martia sed regnat iuuenili in corpore virtus.
Hectora si præstet Perses, præstabit Achillem
Spargapises. PROX. *Tanti sic vobis pondera belli*
Postpositis Regina viris mandabit? an vltrò
Dum leuibus iunctæ pugnatis Amazones armis,
Spectantes incerta viri pugnæ acta sedebunt?
Regnastis, pressóque olim imperiosa dedistis
Iura Scythæ. Satis est. nondum omnis pectore cessit
Vestra marem aduersùs scelerata iniuria sexum;
Mascula vt immani iugulastis pignora dextrâ,
Et Scythica pessum est vobis data gloria gentis.
Prisca viris virtus redijt, Regníque potestas
Summa viris. ACH. *Quonam ista viros secludit ab armis*
Imperiò? TOM. *Nihil est Mater quòd dicta retractet.*
Progredere, & fatis bellum hoc gere, Nate, secundis.

At vos Cœlicolæ, túque, ô clarissime Diuûm
Sol, qui flammifero Cœli spatia alta pererrans
Circumagis Mundum curru, suprema Parentis
Gaudia, Spargapise serua. Sedenim tu, inclyta dudũ
Cuius nota fides Tomyri, ô fortissime Ductor
Massagetûm, quàm grande tuo rarúmque memẽto
Anxia depositum Genitrix sub nomine credat.
Hic sub te graue Martis opus tentare magistro
Incipiat, téque hic potiùs virtute tuorum
Hostiles fundentem acies, certóque regentem
Consilio adspiciat, dubijs quàm dimicet armis.
Massagetas bis mille equites, robustáque pubis
Agmina bis decies mille abripe; nuntius aures
Hic feriat, clauso antè cadat quàm Vesper Olympo,
Deuictum Scythicis Persam cecidisse sub armis.
AM. *Dij facient; altâ intereà mihi mente repostum*
Imperium & cara custodia credita prolis,
Hærebit, saluámque tibi, Regina, reducam.
Nî faciat, celsâ tortor trabe tollat Amastrem,
Quaque tegit diuulsa meos cutis, exuat artus.
TO. *Tu mecum interea Scythiæ intima regna tuère,*
Proxaspi, & vigili rebus modò prospice curâ.
Zamolxis placa superos. ZAM. *Placare necesse est.*
Nescio quosnam animo horrores præsaga mali mens
Concitat, & longè fato aduersante sinistros
Prospicit euentus, infaustáque prælia sensit.
Dij meliora pijs pestémque auertite in hostem,
Falsáque diuinæ fiant præsagia mentis.

SPARGAPISES. AMASTRES. SCOPASIS. TANAIS.

QVAS vobis, Superi, quas velocissime Diuûm
Phœbe, tibi dignas tanto pro munere Matris
Persoluam grates? ô si primordia belli
Intentata iuues, cœptísque ingentibus adsis.
Hâc si Persa cadat dextrâ, longóque reclusum
Hoc telo pectus pateat, victóque cruenta
Eripiam spolia, & cupida referam arma Parenti?
Phœbe faue, generi alme faue, faue alme nepoti.
Hunc Arcum, hanc Pharetram voueo, atq; hac tincta ferarum
Tela cruore tuas appendam Victor ad aras;
Et ludos, & sacra tibi instaurabo quotannis.

AM. *Macte animis, mi Spargapise, atque incerta futuri*
Sollicitâ nè mente agita certamina Martis,
Iustáque iam pronos in vota lacessere Diuos:
Prostratas Medorum acies, direptáque nostrâ
Castra manu adspicies hodie, patrióque parata
More euertemus lautis conuiuia mensis,
Quæ celebrant, magnámque simul rapiemus opum vim.

SCOP. *Arma paráte citi, laterique accingite ferrum;*
Pendentes humeris pharetras, arcúsque sonantes

Aptate, & Scythicas densum adglomerate phalanges
In cuneum. AM. *Tanti, Scopasis, quæ caussa timoris?*
Eloquere? SC. *Armatis vidi procedere castris*
Agmina Persarum & vastis se effundere campis.
AM. *Quis numerus? turmane equitum, peditúmque cohortes?*
SC. *Innumeras equitum turmas, peditúmq; cohortes*
Prospexi, & cæco fumantes puluere saltus;
Medúmque Assyriúmque, & cōposito ordine Lydum.
Umbrosâ totum tegitur caligine cœlum,
Horrendóque pedum sonitu tremit excita tellus.
Hinc circùm elatis aureas effulgere signis
Vidi Aquilas; vidi rapidis turgentia ventis
Assyrio fluitare sinu texta ora Draconum;
Qualia Massagetùm patrijs etiam agmina signis
Picta gerunt; patulis inhiantia faucibus ora,
Suspensos raptura putes iam dentibus hostes.
AM. *Hîc tu siste gradum, dum castra aduersa paramus,*
Instruimúsque aciem contrà; si proximus instet
Persa, mone extemplò. TAN. *captanda est murmuris aura,*
Si quod fors tacitas Zephyrus deducat ad aures.
SC. *In mōtis cōscende iugum hoc, ego pronus in aurem*
Procumbens captabo sonos, quos concita tellus
Quadrupedum rapido instantūm solet edere cursu.
Terra tremit, Tanais. TAN. *Paruo nisi lumina fallūt*
Hostis abest spatio: montis superare cacumen

Hunc video. celeri cursu adglomerata profunda
Pars vallis deuexa subit, quà mollior amnis
Glauca inter gelidas pallentia fronde salicta
Voluit aquas, blandóque strepit per saxa susurro.
SCOP. *Bellica iam surdo sedenim audio cornua cantu*
Infremere, & rauco pulsum clangore tubarum
Responsare nemus, circúmque iacentia fractos
Reddere saxa sonos. Verùm iam clariùs aures
Stridentes feriunt litui. TAN. *Iam castra propinquāt,*
Iámque etiam anteuolant prodromi, digito ora premamus
Opposito tecti scopulo.

ACHAEMENES. ORONTES.
SCOPASIS. TANAIS.

EXPLOREMVS an hostis
Instet. an insidijs Persam captare dolísque
Apparet. OR. *Vmbrosis tacito pede tecta petamus*
Virgultis loca: sic venientem tutus in hostem
Hinc prospectus erit: celerem sed comprime gressum,
Massagetas video; solitis ficta artibus ora
Instrue. SCOP. *Massageta vnde isti? quis misit in hostes?*
Hæreo, nec qui sint vix certo lumine constat.
Tu credis? TAN. *Sunt Massageta, nisi fallit imago.*
Talia Massageta villosis tegmina portant
Pellibus,

Pellibus, & dextrâ iaculum clypeúmque sinistrâ
Sic gestare solent; sed forma haut congruit armis.
SC. *Accedam propius: totos lustrabo, capútque*
Atque pedes circumspiciam. Suspecta virorum
Ora mihi; tacitis tollunt vestigia plantis.
Aggrediar. TAN. *Vix sat tutum reor.* SC. *Intrepidi omnem*
Fortunæ in casum hic stemus. ACH. *Quàm prospera nostris*
Consilijs fortuna fauet, deteximus hostem,
Ludam ego. Quæ, Socij, vos mẽte huc numina ducũt?
Quóue tenetis iter? SC. *Gressúmne mouebo?* TAM. *petamus.*
Quid dubitas? SC. *Sunt Massagetæ?* TAN. *Non fallo.* ACH. *Ducísne*
Imperio? SC. *Quid tu linguam mentiris & arma?*
Non tu hostis? ACH. *Sum Massagetes.* SC. *Sic fallere Persa*
Massagetam speras? exploraturus ab hoste
Perfide ades.. ACH. *Quæ causa fugæ? quin protinùs istos*
Insequimur? quin terga citâ transfigimus hastâ?
Tendo arcum, & celeri fugientes tardo sagittâ.
SC *Adspice num Persa præstet Scytha robore dextræ,*
Quámque magè hic certo iaculum contorqueat arcu.
ACH. *Massagetas præstare fugâ sat nouimus, ipsos*
Quinetiam rapidis præuertere cursibus Austros:
Sed conferre manum, & stricto decernere ferro

Auderent? fugitis. Sc. *Paullùm exspectate, redimus.*
Ach. *Sic igitur pedibus pugnãdum atque alite cursu?*
Anteite aërias plantis pernicibus auras,
Consequar, & vestros certo retinebo volatus,
Imbelles, iaculo, fugitiuáque terga lacessam.
Or. *Progrediamur, & ipsa vsque hostis in ora feramur.*

CROESVS. HYSTASPES. ACHAEMENES. ORONTES.

TEMPVS *adest Scythici quo Crœsi, Cyre, salubre*
Consiliúmque fidémque probes discrimine belli.
Cepisti Assyrium somno vinóque, silenti
Nocte, retrò auerso tumidísque recurrere iusso
Fluctibus Euphrate atque altà se condere fossà.
Massagetam capiam arte pari; mihi cognita brutæ
Natura est gentis. Liquido nam flumine edaces
Hamatâ veluti capiuntur arundine pisces;
Hunc ego sic lautæ capiam dulcedine mensæ,
Et validos Lydi somnos dabo germine Tmoli.
Instruite, ô famuli mensas, & fercula mensis
Sternite, dum armatas disponimus ordine turmas.
Hyst. *Stabo ego principijs, opportunâque retrorsùm*
Vertam terga fugâ, medio dum tu agmine septus
Succedes, totísque instantem viribus hostem.
Excipies; versóque legens vestigia cursu.

Diripienda Scythis dabimus, quæcunque parari
Fercula iussisti. Sed me mora Achæmenis angit
Cui timeo; sed adest. ACH. *Hystaspes, Sarmata flexo*
Agmine progreditur; iámque instat. Vidimus alto
Puluere compleri cœlum, densóque moueri
In cuneum numeros. Audin' stridentia rauco
Classica iam reboare sono, horrendóque sonantes
Hinc illinc circum valles mugire vlulatu?
CROE. *Arma citi properate; animos attollite, victâ,*
Quam petimus, Scythicâ est ingens victoria gente.
Immoto stet quisque gradu, dum Martia signum
Det tuba, & elato chlamys emicet aurea conto.

SCOPASIS. TANAIS. SPARGAPISES. AMASTRES.

HOSTIS *adest.* TAN. *Saltu Persæ occurrère propinquo*
Exploratores. SP. *Pugnæ accingamur, Amastres,*
Adspicis vt refugo detorquent lumina visu?
Lætitiâ exundat pectus: iam primus in hostem
Irruo, disijcióque acies, iam strata superbo
Agmina Achæmenidûm pede protero; iam tibi Cyre,
Insulto, fractâque ferox ceruice, triumpho.
AM. *Non ego te primæ atrocis discrimina pugnæ,*
Spargapises, tentare sinam. SP. *Quâ densior hostis*
Huc feror, hâc sequere acer Amastre, alacrésque sequantur
Massagetæ. Solum te, Cyre, in prælia posco.

Sterne, neca, telis confige, occide, trucida.
Quâ patet, huic gladio latus hauri; hic cominùs ense,
Eminùs ille hastâ pugnet; vibret ille sagittas,
Totáque Achamenio mergatur sanguine tellus,

CROESVS.

TORQVE *Hystaspe, aciem; aduersâ sat fronte stetisse.*
SPARG. *Iam trepidant, instate, solutis agmina cedunt*
Ordinibus, premite, auersâ iam turpia vertunt
Terga fugâ. Nostra est, Socij, victoria; castra
Diripite, exuuias legite; ocyùs ipse fugaces
Insequor. AM. *Hostilis satis est modò sanguinis haustum.*
Victricem dextram retine, iram pone; nec vltrà
Progredere? heic partæ statuatur adorea palmæ.
Vicisti, fugit Medus, pars maxima nostris
Cæsa iacet campis. SP. *Bellum instaurabit.* AM. *An ausit?*
SP. *Dedecus exacuet vires, nè fortè resurgat,*
Instemus, stratúmque vltrà pellamus Araxem.
AM. *Utere fortunâ fugientíque ampliùs alas* ‹‹
Adde hosti; atque auro trepidæ redime ocia genti. ‹‹
Deuictorum animos rabies in prælia rursùm ‹‹
Importuna rapit; Spem desperatio sæpè ‹‹
Amissam victo reuocat, partámque coactus ‹‹

Victori meliore rapit certamine palmam.
Laude tuâ fruere, atque hæc venientibus olim
Consecranda dies populis eat. Vt tibi primis
Tanta ab Achæmenio victoria contigit annis.
Mittantur, trepidæ ista ferat qui nuncia Matri.
Tu, Tanais, celeri celeres quantocyùs Euros
Anteuola cursu, & Nati cecidisse sub armis
Raptorem illum Asiæ, suáque armis regna petentem.
Ac simul Eoo reuocabit ab æquore currus
Laomedontæi gelidos Aurora relinquens
Coniugis amplexus fuscóque micantia Cælo
Astra fugans cupido prodet sua lumina Mundo,
Persarum quicquid superest perdemus, & altâ
Defixum Regis caput admirabitur hastâ.
Dum Marti Natóque æterna trophæa paramus,
Victori ingentem Nato paret illa triumphum.
TAN. *Pareo.* SC. *Vino epulísque hostilia castra redundant.*
AM. *Indulgere iuuat Genio, mensísque paratis;*
Quandoquidem longo Martis certamine fessis
Et Bacchum & Cererem sors opportuna ministrat.
SP. *Quidnam multiplici distinctæ flore corollæ*
Attextæque rosis violæ? quid plexa amaranthis
Serta volunt? AM. *Sunt hæc pulcræ inter pocula lautis*
Ornamenta comæ dapibus. SP. *Circùm ergo solutâ*
Tempora eant galeâ. gemmata implete Lyæo
Pocula. Cyre, tibi hoc primus cratere propino.

AM. *Hoc ego, Lyde, tibi.* SP. *Baccheïa munera plenis*
Haurite, ô Socij, cyathis, quantóque madescunt
Sanguine Achæmenio gladij, siccata liquenti
Proluite ora mero. rursùm mihi fundite, hianti
Gutture lenè fluit: sed quis stupor occupat artus?
Genua labant; fracto trepidant vestigia gressu.
Obtenebrat nubes oculos; vox deficit ore;
Languidáque irriguo soluuntur membra sopore.
AM. *Languescit virtus animi, resolutáque sensim*
Lethæo torpent perfusa papauere membra.
SC. *Nostra etiam, Socij, tradamus corpora somno.*
Nescio qua species rerum mihi lumina turbat.
Alatos video volitare per aëra ceruos.
Circùm Terra agitur, retrò turbata feruntur
Omnia, & in mediâ clarescere sidera luce
Adspicio, & motis syluas incedere truncis.
Heu! quantâ totum horrescit caligine cœlum.

CHORVS MASSAGETARVM.

O! *quàm lenè meis fluit*
Haustus visceribus liquor?
Quàm dulci mihi fascino
Sensus eripit, & leui
Mergit membra sopore.
An solum premerem, an salum?
Hei! mî, fluctibus obruor.
Cymba naufragio perit.

Iam Nereïa deferor
Monstris esca sub antra.
Me Iouis rapit armiger,
Cœlitúmque epulis locat.
Proximus sedeo Ioui;
Et plenum mihi nectare
Phryx cratera propinat.
Quantâ corda face æstuant?
Quàm crescunt animi modò!
Arma, arma, hostis adest. Sed heu!
Qui tantos animos dedit,
Hos fallax liquor haurit.

CROESVS. ACHAEMENES. ORONTES. HYSTASPES.

SIC *ego Massagetas capio; hâc indagine brutas*
Cingo sues. Pecora hæc grauiore iacentia somno
Cædite; Spargapisen seruate, insignia si quem
Præterea arma notant. ACH. *Hunc me, nî fallit imago,*
Armáque, Spargapisem esse reor, cui mollior ætas,
Frons niuea, & pulcro decor igneus ardet in ore.
OR. *Hos quoque commendat maiestas oris & ingens*
Qui vultu legitur animus & gloria formæ.
CR. *Tollite, & Assyrio Iuuenem componite lecto.*
Cætera si qua Ducum turba est, in castra referte.

Spargapisem armis exuite, & suspendite trunco.
Cura tua hæc, Hystaspe, esto; Vos, Lyda iuuentus,
In numerum patrias læti celebrate choreas.
Et date Mygdonio solemnia carmina Baccho.
HYST *Ingentem ergo trabem connixi viribus altè*
Erigite, & summâ fulgentem parte locate
Massagetæ galeam Ducis, auratísque micantem
Corytum iaculis, arcúmque auróque trilicem
Figite loricam, quôque hic succinctus obibat
Prælia cum parmâ statuatur acinacis albâ.
Hoc quoque venturos scribatur Carmen in annos.

VICTO. SPARGAPISE. ATQVE. INGENTI.
STRAGE. SVBACTO.
MASSAGETA. AETERNVM. HOC. CYRVS.
REX. MAGNE. TROPAEVM.
BELLIPOTENS. GRATO. PONIT. TIBI.
MVNERE. VICTOR.

CHORVS
LYDORVM.

NVNC *socij patrijs iuuat indulgere choreis,*
In numerúmque pedes
Tollere, & Ionijs componere motibus orbes
Ad modulos crotali.
Nunc fusam redimire comam, & fluentia sertis
Tempora

Tempora purpureis
Cingere, dum festis positâ modò casside miles
Incumbit dapibus;
Dúmque acres cessant litui, horrendósque tubarum
Aera premunt sonitus;
Mollis & in placidis auditur tibia castris,
Exhilarátque acies,
Quæ modò Massagetâ superato, & Principe capto
Gaudia mente agitant.
HAEC *tua Mœonijs numen venerabile terris*
Gratia, Bacche pater.
Hæc tibi, non Getico debetur gloria Marti,
Bellorum arbitrium
Quem penes, horrendísque potẽs qui fulminat armis,
Terribilíque furens
Irâ exporrectos humano sanguine latè
Mergere gaudet agros.
Ast meliùs, Pater alme, tuis Victoria parta est
Eubye muneribus.
Sic quondam aurato circum curru Indica vectus
Thyrsigerâ cum acie
Regna subegisti, quà latè vndantia Gangis
Flumina funduntur.
Te placidum Eoæ gentes sensère, tuísque
Pectora perfusi
Fontibus Armenij pronâ ceruice iacentes
Suscepère iugum.
Tum neque trux galea vlla caput contexit, equinis

Altáque crista iubis;
At tua Mæoniâ radiabant tempora mitrâ,
Diffusíque hederâ
Virgineam vmbrabant frontem viridante corymbo.
Turbidáque obscuro
Ad vultus radios fugiebant nubila cælo.
Efferus Arctois
Non aliter quàm cùm Boreas emissus ab oris:
Aëre congestas
Ore fugat nubes, raptúmque Hyperiona cæcis
Restituit terris.
Non tibi sanguineo crudescit dextera ferro.
Non lauam clypeus
Obtegit, aut valido libras hastile lacerto
Intendísque arcum;
Mollia sed purum iactant modò brachia thyrsum:
Non summâ ferrum
Cuspide inhorrescit; viridi sed pampinus illam
Circum fronde tegit.
Non fuluo ære rigens, grauibúsque innexa catenis
Te lorica decet.
Non tenerum thorax tibi corpus aheneus armat,
Aut super aurea chlamys;
Parthica sed velat maculoso tergore Tigris
Circum cincta latus;
Cuius & aurati summum arctis nexibus vngues
Constringunt pectus.
Non te horrens sequitur ferreis exercitus armis,

Tela infesta rotans;
Ast lepidis sociata choris comitatur euntem
Turba Mimallonidum;
Aemonij ceu celsa petis pede culmina Pindi;
Seu Pangaea tuis
Ad iuga, lasciui celebrant trieterica Mystae
Orgia ritè sacris:
Seu tu natales Thyadum exsultante catervâ
Ingrederis Thebas.
TE *quondam patrio subvectum audiuimus amne*
Lydia dum peragras
Regna, & squamigerum fuluis quod ludit in vndis,
Subsiluisse pecus.
Ille tuas ausus quondam succindere plantas,
Muneris ille tui
Contemptor fixâ sub crura bipenne Tyrannus
Saucius interijt.
Sensit Echionius iustas quoque Numinis iras
Pentheus Ismaridum
Lymphato data praeda gregi, cui criminis vltrix
Ipsa suis Nati
Membra Parens rapuit manibus, longóque cruêtum
Per tua castra caput
Affixum conto circumtulit. Ille superbus,
Barbarus ille Scythes,
Quem modò sanguineâ stratum spectamus arenâ
Arte Halyattiadae
Deceptum Regis, forti qui Lydia quondam

Sceptra manu tenuit,
Bis tibi iam domitus iacuit, mistámque Lyæo
Euomuit animam,
Arcúmque gladiúmque venenatásque sagittas
Massagetes posuit.
Vincere si Natum licuit; sic vincere Matrem
Bacche Pater, liceat.
Tum tibi conspersus frontis super ardua multo
Exundante mero,
Pinguis inauratis tinguet tibi cornibus aras
Sanguineo amne Caper.
Solemníque tuas iterùm celebrabimus hymnis
Ad numerum laudes.
Te Victorem Arctos, victorémque audiet Auster.
Audiet Eois
Eurus; victorem Hesperijs qui spirat ab oris
Audiet & Zephyrus.





ACTVS .III.

ARAXES.

DI, si qua est cœlo Pietas, Astræáque celsas
Profligata solo vobis socia incolit arces:
Si scelera vlcisci Superis placet; Impia quid nunc
Insurgunt capita, & fas omne abrumpere tentant?
En nouus incestâ furit actus Perside Cyrus,
Ignoto genere infamis, cuíque vbera turpis
Admouit canis; & Medorum insignia Regum
Nomine mentitus, captum simul impius arcto
Carcere clausit auum, solióque hunc expulit alto,
Quid non hic immane ausus? quæ funera non hic
Edidit? aut quas non hic sanguine polluit oras?
Quas non ferro vrbes? quæ non hic regna subegit?
Quas non imperijs gentes parere coegit?
Nequicquam varijs toto fuit Orbe iacentes
Limitibus signare plagas, præruptáque iunctis

Opposuisse iuga scopulis, nil fluminalatis
Intersusa plagis aduerso incumbere contrà
Littore, si nulla est Regum data meta furori?
Tutus es, ætheriâ regnas qui Iupiter arce?
Non memori Enceladus, Terraque immania monstra
Coniurata Polos rescindere mente recursant?
Non Cœlo metuis Pater, Aemoniúmque niuali
Rursum in Cœlicolas componi Pelion Ossæ?
Quid minus hic? cuius tumidis angustior Orbis
Hic tuus est animis? Cœlum quique Orbe subacto
Iam premit, inferiórque ipso dolet esse Tonante?
Nos tua progenies Fluuij, quos sede Deorum,
Conciliòque epulísque beas, feruente perustum
Multifidis qui Sole solum perfundimus undis,
Heu! quibus innocuos lacerauit hic impius Amnes
Vulneribus? Vesana huius dementia Gyndes
Testis erit, qui Dardaneos spumantibus agros
Mergit aquis tumidúmque rapit rapido agmine Ti-
Hic lecto fortè intortis absorpserat undis (grin.
De grege equũ, celeris sacra erat celeri hostia Phœbo:
Iste furore iráque amens, multáque virum vi
Armatus latè undosum discriminat alueum.
Diuersum hinc spargítque illinc ac rupta trecentis
Labra canaliculis riuos in mille profudit.
Quinetiam solitos interuertisse meatus
Euphrati quondam memor es, Pater, atq; profundâ
Constrinxisse amnem fossâ, dum nocte silenti
Mollis hic Assyrias turpi arte intercipit arces.

Ille meis inferre ausus bella, impia bella
Massagetis, & quod prò! Dij, quod pressa recusant
Ora loqui, Puerum oppressit, cepítque pudendâ
Spargapisem arte meum, sed quâ? tu conscius æther,
Túque serenato qui cogens nubila cœlo,
Tristia tum ferrugineo ora obductus amictu
Prima retro versos agis ad cunabula currus.
Indigno, Phœbe, instructas simul adspicis astu
Insidias, tristésque epulas, & sponte per herbam
Sparsa soporifero spumantia pocula Baccho.
Egregium hoc Persa facinus? hæc bellica virtus?
Quos pulcrâ virtute nequit, turpi edomat arte.
At non sic; quid falsa animos victoria tollit?
Vicisti puerum. Puero quæ gloria capto?
Sic etiam capto?
Et iam captiuam spondes, Persa improbe, Matrem?
Scilicet aduerso Nati perterrita casu
Prona manus tibi submittet, Dominíque verenda
Genua prehensabit Mater, vitámque rogabit?
Hac te certa tenet placido fiducia lecto?
Fors adeò tibi festiuis hesterna choreis
Nox acta, & castris intempestiua per omnes
Indicta insolito cuneos conuiuia luxu?
Illa meis lautas inter modulamine Lydo
Auribus obstrepuit Berecynthia tibia mensas.
Peruigil ille virûm plausus, rauca illa tubarum
Æra resultantes modulato murmure ripas
Pulsauere meas. Illa est, illa alta meorum

Induta exuuijs quercus, tibi saue Tropaeum
Armipotens. Illa est sublimi vertice fixa
Spargapisae galea aurea mei, thoráxque macharáque
Auratíque arcus teneraque aptata sinistra
Parmula, Amazoniae Mauortia munera Matris.
O! quantis scelerate tibi victoria stabit
Funeribus? quantâ stabit tibi strage tuorum?
At tu sidereâ cessas modò Iuppiter aulâ?
Quid tibi dextra vacat? Siculis quid lenta caminis
Erumpente Orbi scelerum lue, fulmina torpent?
Infanda ardentes quid non Phlegethontis ad vndas
Detrudis capita? Vltrices sed comprime flammas;
Ipse meis, quantus patulos exercitus agros
Nunc premit exsultátque, effusis fluctibus omnem
Submergam, atque imis latitantia monstra cauernis
Turbata in castra emittam, vastísque vorabo
Vorticibus gazámque virósque & quidquid Eoas
Illa rapax acies est depraedata per oras.
Tu mihi, tu meritas pendes, Rex impie, poenas.
Quique tibi placidâ somnus modò ducitur horâ
Proximus Hesperio antè cadat quàm gurgite Titan,
Aeternâ somnus claudet tua lumina nocte;
Aut sicco adspicies extinctum littore Araxem.
Sed quid agis? quidue heic resides? quid inultus
Araxes
Obsurdescentem querulis clamoribus athram
Frustrà imples? Satis est rabido indulsisse dolori.
Tu Regina aude, reliquas in bella cateruas.

Collige

Collige & emitte in Persam, sobolémque reposce.
Pro! miseranda meis quæ se tulit obuia imago
Luminibus? quosnam interitus præsaga notaret
Mens animi? cuinam immaturæ extrema paratis
Vitæ fila Deæ? ah! te. ah insontissime noui,
Parce tuâ fodere immani præcordia dextrâ.
Verùm age tale, Puer, pro fraude paciscere letum.
Sed dextram remorare; tui iam iam inclyta Mater
Vltrix opprobrij Persarum examina fundet.
Ah! placet ergo mori? Sed Natum vlciscere Mater.
Aggredere, aduersúmque tuis preme viribus hostem.
Tu frontem pete, Massagetámque in prælia lætis
Duc animis, tua erit victoria, spondet Araxes.
Ipse ego terga premam, fugientíque obuius ipse
Obijciam abruptis temeratas pontibus vndas.

CYRVS. CYBARES.

DI Patrij, túque, ô Diuorum maxime Mithra,*
Æternum cœli decus, Astrorúmque choreas
Qui regis, & lucem ætherios diffundis in axes,
Sparge diem meliore rotâ, Cyrúmque superbis
Tot celebrem spolijs minitantibus eripe monstris.

CYB. *Quæ noua sollicitam, Rex, turbant nuncia mentem?*
Excidit illa adeò hesterna tibi gloria sortis,
Massagetam vt casum audisti captósque doloso
Marte Halyattiadæ Regémque Ducésque teneri,

Ad tua quos vinctos duci modò castra videbis?
Altò importunos quid stringis corde dolores,
Nec concepta tenes constanti gaudia mente?
CYR. *Lux noctem fugat, & lucem tenebrosa fugat nox.*
"*Gaudia sic mæror, mærorem gaudia trudunt:*
"*Nilque adeò rerum certâ sub imagine durat.*
CYB. *Cætera perpetuis voluantur motibus; alta*
"*Conscia virtutis mens inconstantia ridet*
"*Humanæ momenta rotæ; nec cedere virtus*
"*Nec labi nouit, quantùm superâ intonet arce*
"*Iuppiter, aut vastum trifidis perterreat Orbem*
"*Ignibus, impauido contortas pectore flammas*
"*Excipiet, falsâ nec finget imagine vultum.*
CYR. *Qualem me quantúmque tulit Rhamnusia Regem,*
Haut tamen imperij curas Populíque salutem
Abstulit illa, meâ tutandum vtrumque salute.
CYB. *Sed tua, Rex, nostra est.* CYR. *Sic vestra est Principis; vno*
"*Membrorum capitísque salus adamante ligatur.*
CYB. *Quis metus esse potest Capiti?* CYR. *Inferiora cauendum*
Quod non membra vident, Caput vnum prauidet. CYB. *æquo*
Quid timeat, cui cuncta fluunt modò flumine? CYR. *Sola est*
Caussa noui illa metus. CYB. *Tibi cùm sinuosa secũdis*

Vela tumẽt Zephyris? CYR. *Grauior tum fortia tẽtat*
Corda metus. Dubijs terra est tibi tutior vndis?
Prudentémne sereno adeò confidere nautam
Velle polo? licet ipsa ferant spontè æquora classem,
Aequatæ adspirent auræ, geminíque residant
Tyndaridæ antennis, varios circúmque per orbes
Cærula verrentes caudâ Delphines oberrent,
Quæ dubio certa esse potest fiducia ponto?
Cùm tibi disclusis violentior Aeolus antris
Laxat anhelantes Euros, Coróśque Notósque
Qui purum horrendâ eripiunt caligine Cœlum,
Arboribus nemora exspoliant, sola turbine miscent,
Conuulsúmque imis euertunt sedibus æquor?
CYB. *Quis Regem vigilare vetat? quis regna tueri;*
Ancipitésque animo bellorum auertere casus?
Intempestiuis at enim præcordia curis
Haut patior tutum carpi, gaudere secundis
Quẽ iuuat, & fas est. CYR. *Cui Dij suprema minãtur?*
CYB. *Sed suprema parant.* CYR. *Fata, inquam, extre-*
ma minantur.
CYB *Parce malis temerare Deos, Rex Optime, verbis.*
Quicquid, id est, omen, Superi, conuertite in hostes,
Inque tuum caput hanc vertant, Tomyri impia, pestẽ.
CYR. *Quas ego sed quali pendo pro crimine pœnas,*
Dicite Cælicolæ? an iusto mihi Marte redemptum
Iure meum, hoc aliò sceptrum transferre paratis?
Quid Cyrus tantum potuit delinquere? sceptrum
Non rapuit, sed vos, quorum sunt Regna, dedistis.

Astyagem bello petij; quæ culpa? quis error?
Quod scelus? an quòd Auo vel iusta inferre Nepotem
Arma nefas? hæc caussa? nefas quodcumque Nepoti
Esse potest in auum, fas est; Dij nostis, in illum
Ausum etiam primas venientem in luminis oras
Alitibus cæco in nemore obiecisse Nepotem?
Vos mihi Cælicolæ testes, túque optima nutrix
Vbera postposità mihi quæ Spaco prole dedisti.
Tu quoque fide meam testaberis, Harpage, sortem;
Qui mihi seruatæ retulisti hæc præmia vitæ;
Immanes hic dum antè alios immanior omnes
Infantem iugulat sobolem verubúsque refixos
Ignaro mensis Genitori protulit artus.
CYB. *Quis te Rex damnat? licuit, nec defuit æqua,*
Sic Superis placitum, pœnas horrendóque repostus
Carcere veridicæ expleuit sacra carmina sortis.
Debita iure suo rapuisset sceptra Nepoti?
Nemo sui hæredem imperij nece substulit vnquam
Terrarum imperium dederunt tibi fata, Iouémque
Ut Cælis, Cyrum sic stat regere omnia Terris.
CRY. *Ast pauidum terrere malis per somnia pectus*
Nulla quies monstris, oculos animúmque fatigant.
CYB. *Rex, attolle animos, Scythicis modò victor ab armis*
Persa redit, lætus ferit aurea sidera clamor,
Omniáque ingenti resonant clangore tubarum.

Cerne coronatas sertis victricibus alas.
Miles Io, *ter* Io *ingeminat, clamátque*
Trivmphe.

CROESVS. CYRVS. SPARGAPISES. AMASTRES. HYSTASPES.

VICIMVS, *ô Cyre, & faustis victoria parta est*
Augurijs, lepidâque Scytham intercepimus arte.
Cepimus & Tomyris Natum, quem cernis agresti
Compositum pheretro, somnóque meróque sepultos
Massagetûm proceres, quos inter funera felix
Seruauit gladius. Iam iam ad tua, spondeo, supplex
Genua cadens aderit Genitrix, quæ se & sua dedat
Regna tibi, & Natum lacrymis precibúsque reposcat.
Cyr. *Deferte huc Puerum; videam; exstinctúsne iaceret?*
Cr. *Alto demersus somno iacet.* Cyr. *Excute.* Cr. *Somnum*
Vix modò discutias. Cyr. *Forsan clamore soporem*
Abrumpes, clama. Cr. *Resera, Scytha, lumina? frustrà*
Vocem etiam grauiùs contendam. Barbare? Sp. *Bar, bar.*
Barbare? Cyr. *Támne altô reliquis resoluta sopore*

Membra iacent? tentate. Cr. *Iacent grauiore reuincti.*
Caucaseos raucâ scopulos voce antè moueres.
Surge? Am. *Vrge.* Cr. *Vrgebo, & pecudi sensum dabo; stricto*
Tentabo mucrone latus. Cyr. *Sine vulnere punge.*
Am. *Vnge.* Cr. *Sonos fingit, seu gaudens montibus Echo.*
Hyst. *Fœcundo Tmoli miraris si ebria succo*
Pectora Massagetûm ignotas dent ore loquelas?
Cyr. *Lyde, Scythas cura; paucis te, Hystaspa, mora-*
Præteritâ mentem nocte obuersata fatigant (*bor.*
Somnia, Dicam equidem. Natorum maximus inter
Aequales qui formâ animísque & robore præstat
Imperium tentat. mouet illi absentia tantos
Nostra animos. Hyst. *Meus ambiret tua regna Darius?*
Cr *Hunc vidi expansis, qualis Iouis armiger alti*
Suspensum liquido cùm librat in aëre corpus;
Vidi egò obumbrantē Europámq; Asiámq; sub alis;
Gestabat geminas humeris ingentibus alas.
Regnabit. certum hoc portenditur omine Regnum.
Cyb. *Hæc contemne.* Cyr. *Deûm mentis prænuncia?*
Cyb. *Mentes* "
Fallaci ludunt temeraria somnia nocte. "
Cyr. *Vana putas, cœlo quæ demittuntur ab alto?*
Cyb. *Vera Deûm decreta putem? nocturna diurnas*
Somnia cùm referãt species, somníque per vmbram

Ambiguâ inter nos fallunt sub imagine sensus.

CYR. *Quæ visa Astyagi per noctem insomnia, lapsi*
Non hæc certa illi fuerant præsagia sceptri?

CYB *In quãcumque voles flectes Oracula sortem.*

CYR. *Crede Deo, nunquam ille graues mortalibus iras*
Antè parat, certò quàm præpetis omine pennæ,
Aut linguis auium, aut claram stridente per æthram
Fulmine, cæsarúmque boum spirantibus extis,
Pérque altum occultis olim ventura soporem
Prodat imaginibus. Quæ me, Cybare, alma tuentur
Numina (certa fides) venturos prodere rerum
Consueuère mihi casus, inopináque fata
Per somnum referant. CYB. *trepides, si videris antè,*
Quæ vitare queas? CYR. *vitem insuperabile fatum?*

CYB. *Turbarétne animos imbelli ætate Darius?*

HYST. *Regna meum tua, Rex! Regna affectare Darium!*
Dij prius infandum caput hoc absumite, Túque
Summe Deûm, priùs hoc Stygias demerge sub vndas
Quàm meus hoc, meus hoc dirâ execrabile Natus
Mente scelus voluat. Mittam qui protinùs olli
Demetat ense caput, tibíque afferat. Ista nefandæ
Præmia perfidiæ Natus ferat. Ast ego longas
Quid modò necto moras? cur non in Persida Patrem
Ire iubes? nostrâ hic tibi, Rex, cadet hostia dextrâ.

CYR. *Hunc mihi siste, simul, faueat modò Mithra, subactò*
Massagetâ, patrias remeauero victor ad oras.
HYST. *Arbitrio, Rex magne, tuo Natúmque Patrémque*
Subijcio, meritas solus pro crimine pœnas
Non feret, ipse feram. Patrem facit esse nocētem "
Filius. CYR. *Esto memor. Sed non hæc somnia* "
Cyrum
Sola mouent. CYB. *Tantò si me digneris honore*
Per Te, pérque tuam, quam Rex mihi magne sororem
Coniugio vinxsti stabili, propriámque dicâsti,
Qualiacumque, precor, fuerint hæc somnia, prode.
CYR. *Ite, Magum famuli Dimantem accersite, nobis*
Expediat, quid monstra ferant. Nam quid moror vltrà
Anxia continuis torqueri pectora curis?
Fata premunt Cyrum? fatis parere necesse est, "
Quæ nullì superare datū est hominúmue Deûmue. "
CYB. *Quid tibi cum fatis? præsentibus vtere. Cyrum*
Sollicito trepidare animo, funestáque lætis
Miscere, & festos luctu temerare triumphos?
CYR. *Quàm variò fortuna rotat mortalia casu,* "
Labilis, inconstans, fallax, vaga, perfida, lauâ "
Quæ peiora fouens, spargit sua munera dextrâ! "
CYB. *At bona vult læto recipi sua munera vultu.* "

CYR.

CYR. *Quò mala?* CYB. *Securò.* CYR. *Quò, si permiſcet vtrumque?* "

CYB. *Non flectant aduerſa animum, non proſpera tollant.* "

CYR. *Supremum capiti exitium oſtentãtibus Aſtris, Rex feſtiua animum maleſanus in otia ſoluet?*

CYB. *Dandum etiam eſt aliquid Genio.* CYR. *Quò me altiùs vnum*
Euexit fortuna, hoc me magis omnibus æquum eſt,
Nè grauiòre ruam caſu, fragilem indè Deorum
Formidare fidem. CYB. *Tantùm Rex, poſſe videris*
Fata quoque vt cæcâ noctis caligine merſa
Excutias, vitéſque? Mala impendentia noris, "
Vitare haut pateris. Mentem fallacibus angis "
Incaſſum ſpectris. Scythicis nunc proſpice rebus.

CYR. *Perſica curemus, magè nos quàm cætera tangunt.*

CYRVS. DIMANTES.
CYBARES.

TV *qui arte ætherios pandis mortalibus orbes,*
Conciliȷ́ſque Deûm cui mente ſupremus adeſſe
Conceſſit Pater, & ſuperûm internoſcere mentes,
Fataléſque ouium fibras tonitrúſque ſonoros,
Atque intempeſtæ veneranda inſomnia noctis,
Fare age, namque tua eſt dubiȷ́s certiſsima ſemper

L

Augurijs spectata fides, quid Numina poscunt.
Nam dirâ horrendi confundor imagine monstri.
Vix è conspectu procerum subductus in alto
Membra toro posui, Lydi quæ fortè sequatur
Consilium fortuna Ducis dum mente reuoluo,
Corripior somno, perque ægra insomnia visus
Cæruleo longè vir conspiciendus amictu.
Ingentis noua forma senis, cui squalida toruum
Fœdabat vultum illuuies, tristi ardua fronte
Cornua surgebant, flammis accensa micabant
Lumina, continuò stillabat flumine barba,
Hirsutúmque supercilium, neglectáque cani
Cæsaries capitis, iunciis quod texta corona
Cingebat, dextráque inerat fluuialis arundo,
Innixus cubito vndantem dum comprimit vrnam.
Talis in Ecbatanis, mirandâ Mentoris arte,
Cernitur effictus purâ auri luce Choaspes,
Cuius Achæmenij potant sacra flumina Reges.
Quas non ille minas dextrâ intentauit? atroci
Quas non ore iras vomuit, dirásque precatus
In caput ille meum est? fabor? cui talia fando
Non subitâ attonitum horrescat formidine pectus?
Ille, sed heu! gelidus coit in præcordia sanguis,
Ille meâ hac tristi clausit fata vltima luce.
DI. *Dij meliora pijs.* CYR. *Quid talia visa minētur,*
Dimantes, aperi. DI. *Tua, Rex inuicte, quid optes,*
Dimantésque potest arte explorare potestas;
Et mihi sancta mei fas iussa capescere Regis.

CYR. *Pande arcana, moras animi violentior æstus*
Haut patitur; quodcumque canes, stat pectore forti
Excipere. an sperem fortè inconcussa sororum
Vellere fila trium, quæ nulli hominumue Deûmue
Euitare datum? Sceptrum hoc fortuna mouere,
Non animum mutare potest. licèt horridus in me
Mars furat, obijciam hæc aduerso pectora Marti.
DI. *Magnanimi hæc Regis, Rex inuictissime, virtus*
Maxima præsenti Fortunæ aduersùs iniquos
Stare animo euentus, quòque hæc grauiora minaci
Exitia ostentat monstrò, vestigia certò
Pressius offirmare gradu. Nam præscia quantum
Mens mea nocturnæ minitantia imaginis ora,
Ora, habitúmque refert animo, haud incerta futuri
Caussa pauoris abest. Quid enim tibi certa petenti
Dissimulem? CYR. *Auderes?* CYR. *Quidnam hic? metuenda Scytharum*
Scilicet arma tuis iam debellata maniplis?
Scilicet imbellis metuenda est fœmina, quásque
Ipsa pares nostris frustrà paret artibus artes?
Hæc Natum lacrymis potiùs, quàm vltricibus armis
Captiuum supplex repetet, sobolísque suámque
Gentísque effuso redimet dubiam ære salutem.
CYR. *Sed neque Hyperboreis Tigris acriùs æstuat aruis*
Pignoribus viduata suis, quæ prædo rigenti
Absentem obseruans matrem detraxit ab antro,
Quàm rapto furibunda parens bacchatur alumno.

D I. *Sana tibi in trepidis, Rex est sententia rebus.*
Sed neque vis flammæ tanta est, simul illa sonoris "
Incubuit siluis, tenui dum incautus arator "
Fortè facem sepi admouit, nemora alta sequaci "
Igne rapit, circúmque vagas populatur aristas. "
Quantas agra fouet sub pectore fœmina flammas; "
Seu rapis vnigenam; sancti seu fœdera lecti "
Polluis, vxoríque opponis pellicis ora, "
In ferrum flammásque ruit, solitíque pudoris "
Immemor, insani seu cornibus icta Thyonei; "
Aut velut Idais fertur Cybelea Sacerdos, "
Sanguineâ resona æra manu dum pulsat in antris. "
C Y R. *Audeat illa pari Persis concurrere ferro?*
D I. *Non ferrum, sed fœmineas horrescimus artes.*
Tu modò Rex, mœstam trepido abijce pectore curam,
Leua procurabo insolitis insomnia sacris.
Longè alias tentabo vias, ni fortè recludam
Quid tumida horrendo minitentur Numina spectro,
Ipse ego tellurem reserabo, Erebíque Tyrannum
Persephonénque Hecatênque & fuscis Morpheon alis,
Quotquot & Infernis latitant fera monstra cauernis,
Occultis turbabo sacris, noctísque silentem
Carminibus superas populum reuocabo sub auras.
C Y R. *Hic te, Dimantes, poscit labor.* D I. *omnia tẽto.*
C Y R. *Vos mihi Massagetas simul exhalata serenam*
Crapula reddiderit mentem, somnósque fugarit,
Sistite, dum tantis quæro solatia curis.

HYSTASPES.

TE'NE, Darì, cui vix bissenos contigit annos
Delibasse, auido tantas iam pectore Regni
Concepisse faces? quæ spes? quod robur in armis?
Eripies Sceptrum Cyro, malesane? Tonanti
Eripies fulmen, solióque fugabis ab alto?
Quis furor? aut quæ te truculenta infestat Erinnys?
An quòd Achæmenidûm genus alto à sanguine
Regum
Per longos deducis auos clarúmque Parentem?
An quòd non æquo victum Mauorte doleres
Astyagen? an quòd Medorum regia Persis
Transtulerit Cyrus sceptra, assuetámque regendis
Ille regat gentem populis, cui reddere prisca
Regni iura putas, libertatémque parare?
Sic igitur dum Regna agitas, alienáque tentas
Sceptra, Patri exitium conflas, spectatáque Cyro
Iam fiet suspecta fides? sic concidet ingens
Hystaspis decus, & quâ omnes illustrior inter
Fama ibat, Nati hac scedere obscurata peribit?
Quæ sit Persæo reuerentia, per fide, sceptro,
Quæ Cyro seruanda fides, me vindice, disces.

SPARGAPISES. AMASTRES. BAGOPHANES.

INCAVTVM Iuuenem, atque infidæ præmia sortis!
Quò traheris? numquid rursùm ad conuiuia? quāt i
Vina luis? quanti fatalia fercula? cur non
Quò simul es captus, simul intercepta veneno
Vita fuit? cur non vinum eructando, cruentam
Euomuisti animam? aut Bacchæo flumine mersa
Non propero aufugit cursu Phlegethonta sub imum?
Méne priùs bellíne Duces querar? AM. Ipse ego tāti
Caussa mali. me me accusa; mea culpa, meúmque,
Spargapises, scelus est. quid te, insontissime, damnas?
Hæc tibi præpositus custos promissa Parenti,
Spargapises, dederam, fidei sua pignora tunc cùm
Crederet illa meæ? seruasti hæc, perfide Amastres?
Depositum Matri reddis? vah! proditor, omni
Pœnarum excruciande modo? vah! proditor, hostem
Sic vicisse fuit? tanti vicisse! fugato
Hæc speranda tibi fuerat victoria Persâ?
Vicisti ferro, vino vt te vinceret hostis,
Opprimeréſque tuâ Regem, temulente, ruinâ?
SP O! pudor, ô! lapsæ damnum irreparabile laudis.
O! furor, ô! animi temerarius impetus, ô! quæ,
O! quæ me tellus absorbeat: aut fera celsis
Montibus erumpens laceret crudeliter artus?

Me voret, atque auido ventris sub gurgite condat,
Quando aliter nequeo probrosam abrumpere vitam,
Et lapsum reparare decus. flexisse Parentem
Lætabâre, animis cùm te illa inuita furentem
Mitteret, ignarum quantùm noua gloria in armis;
Quantùm dulcis honos primo discrimine posset.
Primitiæ belli miseræ! Martísque dolosi
Fœda rudimenta! O! nullì tentata priorum
Fraus scelerata Ducum. Lydo oppugnare veneno,
Quos ferro nequeas? vestra est hæc gloria, Persæ.
BAG. *Quàm tibi tùm dulci perfudit flumine fauces*
Tmolius ille liquor? cupido quàm gutture lautas
Absumpsisti epulas, tum te cœlestium opimis
Credo equidem visum Diuorum accumbere mensis:
SP. *O nata in ventrem pecora?* B. *Inter vincula tãtos*
Massagetes animos? SP. *Quos nulla iniuria tollet.*
BAG. *At tollent, post terga manus, quæ vincula stringunt.*
SP. *Centum adamanteis constringite brachia vinclis,*
Liber erit terrore animus. BAG. *Non rapta doleres,*
Te capto, tua Regna? SP. *Quis abstulit?* BAG. *Ipsa suorum* "
Ancipitem Regum fortunam Regna sequuntur. "
SP *Nõ Reges Regna efficiunt: sibi pectore Regnũ* "
Quisque facit; qui nil metuit, nullò aliũe mentem "
Roditur, atque omni fortunâ excelsior exstat, "
Hic Rex est, non cui frontem diadema reuincit, "
Quique amplâ innumeros populos ditione gubernat "

BAG. *Tu Crœsum, diues cuius sub legibus olim*
Lydia terra fuit, cui pleno gurgite fuluas,
Dum Regnum staret, Pactolus & aureus Hermus
Euomuère vndas, Regem, innumerósque vocares,
Qui Cyri imperijs parent modò? SP. *Si modò forti,*
Qualia serui obeunt, detrectet pectore iussa.
BAG. *Verùm vbi te Regno Fortuna orbauit, & altum*
Abstulit ipsa decus capiti, durísque reuinxit
Assuetas ad sceptra manus regalia nodis,
Vt rerum illa status momento euertit, & ima
Supremis mutat, supremáque subijcit imis,
Quid modò Victori victus seruire recusas?
Vincere num sperabis ineluctabile fatum,
Aut etiam domitas armis euincere terras?
SP. *Massagetûm capto domitum est cum Principe Regnum?*
BAG. *Quis regnat?* SP. *Regno.* BAG. *Scythiam regis?* SP. *Inclyta Nato*
Hanc absente regit Mater. B. *Muliercula.* SP. *Nulli*
Fœmina concessura viro. BAG. *Tantâne Parentem*
Laude effers? SP. *Cuius tuus ille inuicta Tyrannus,*
Mancipium cui vile iaces, modò sentiet arma.
BAG. *Procumbe, & toto proiectus corpore Regem*
Persarum supplex venerare; SP. *Sed ille Scytharum.*
BAG. *Non Regem Regum meritò venerabere honore?*
SP. *Rex sum; quin meritos tuus hic mihi reddit honores?*

CYRVS.

CYRVS. SPARGAPISES. MEGARIZVS. BAGOPHANES.

HOC voluère Scythæ, túque, ò temerarie, vestro
Iam satis exitio doctus quid Persica contrà
Te stare arma iuuat, nec nostra capessere iura?
Quidnam oblata tori consortia spernere nostri
Commouit Genitricem? SP. *Vxorem quæris adulter?*
Qui tot Achæmenio Eoas de more per oras
Scorta trahis Venerísque greges? Persane Scythissam
Nubere? CYR. *Reginam Regi.* SP. *Connubia casti*
Exhorrent aliena Scythæ; hàc mea fraude parari
Regna putas? Spera, thalamum tibi regnáque Mater
Jam parat. CY. *Hoc faciet. Nostris nì protinùs illa*
Pareat imperijs, cogam. SP. *Ten' cogere Reges?*
CY. *Hac pœnà commissa luet; sed penè puello*
Danda tibi venia est, teneri cui feruidus æui
Sanguis culpa fuit, stolida imperiosa secutus
Matris consilia. Ecquidnam sperauit? Eoi
Victorémne Orbis Scythicis auertere Regnis?
Nescia tot nostris Reges cecidisse sub armis;
Quicquid Erythræo Regnorum, quicquid Eoo
Quicquid & Hyrcano, Euxino, Ægæóque profundo
Clauditur, omne meâ domitum ditione teneri?
Deberi immensum Cyri, quàquà patet, Orbem

Imperijs ignara Scythissa? ignara potentis
Pressa meâ Europæ iam littora classe moueri?
Iam Libycas nostris cessuras viribus oras?
Ionijs reducem adspicerem Megabizon ab oris?
Quid Fortuna? MEG. *Fauet Regi.* CYR: ***Salua***
omnia? MEG. *Salua.*
CYR. *Harpagus?* MEG. *Incolumis.* CYR. ***Rerum***
status? MEG. *Integer.* CYR. *Arma?*
MEG *Quâ latè diffusa suos Asia explicat agros;*
Quotquot habet validis præcinctas mœnibus vrbes;
Quotquot inaccessis stant fixæ rupibus arces;
Has, Rex Magne, tuis felici Marte subegit
Harpagus auspicijs. CYR. *Viue has, vltróne re-*
ceptas,
Eloquere, & læuâ si quid fortè alite gestum,
Namque ego multiplici turbatus imagine ***mentem,***
Sollicitam exegi dira inter somnia noctem.
SP. *Somnia nocte atrâ vidisti; at somnia clarâ*
Luce modò accipies animo absterfura dolorem.
CYR. *Quàm lepido hic noster Scytha ludit* ***acumine***
mentis?
Quanta animis, quanta inter vincla licentia verbis?
MEG. *Quam fero, quã Regi Dux mittit, nuncia certæ*
Lætitiæ hæc tibi laurus erit. Dijs, Cyre, secundis
Vicimus, & nullis parta est victoria damnis.
Nãq; vbi in Ionias Persam Harpagus intulit oras,
Phocæam, ductis circùm ardua mœnia fossis,
Aggreditur, cinctæ miles dúmque imminet vrbi,

Fossarúmque moras superat, murísque propinquat
Ferrúmq; flammámq; parans, vbi roscida primùm
Eoo rutilos attolleret æquore currus
Leucothoë, & densas mundo depelleret vmbras;
Tum tutâ tacita noctis caligine septa
Tota metu Phocæa fugit, populúmque paratis
Lintribus Ionias quò sors vaga ferret in vndas,
Imposuit, tumidísque salutem credidit Austris.
Desertam populis extemplò inuadimus vrbem.
Diripitur, gazâ ingenti spoliísque potitus
Miles ouat. CY. *Classem non pressit classe ?* MEG. *receptâ*
Vrbe stetit. Validâ hinc properat circumdare Teïon.
Nec mora, deseritur: Teij secura per æquor
Quà patuit profugis via, quæsiuère salutem.
Extemplò turbatæ vrbes; simul omnis in vnum
Coniurat trepida Ionia, agrorúmque relictis
Vomeribus, ferale dedit quà buccina signum,
In turmas aciésque ruunt, telísque parati
Vndique conueniunt delectâ è plebe coloni.
His celeres Persarum acies, cuneatáque Medorum
Agmina conferimus, vexilláque pandimus auris.
Hos simul instructo Ionius videt ordine miles,
Horruit, & tremulâ intorquens sua spicula dextrâ,
Non tulit instantem Persam, quin protinùs ille
Terga daret, premimus fugientem, ac læta cruento
Sanguine cæsorum passim perfundimus arua.
Abijciunt clypeos alij, pars tendere inermes

Prona manus, precibus vitam lacrymísque rogare.
Supplicibus vitam damus, & miserescimus vltrò.
CYR. *Immemor an pacti violasset iura Miletus*
Fœderis? MEG. *Abstinuit bello.* CY. *Ioniâne subactâ*
Harpagus heic steterit? MEG. *Cares, Lycijque, Phrygésque*
Mæonij, Aeolij Mysíque & Dores, & omnis
Quæcumque angusto terra adiacet Hellesponto
Tota tua est.
Nec stetit ille, Cnidon, Myndónque, Samónque Paphónque
Carparthijque rosam pelagi Rhodon, Astypalæam,
Atque omnem Icario quæ fluctuat insula ponto;
Quotquot & Ægæis sparguntur Cyclades vndis,
Harpagus edomuit, veterem expugnauit Abydon:
Et iam iam opposito trepidantem littore Seston
Iunget, si per te liceat transmittere classem.
CY. *Quò Cyrum, Fortuna, vocas? quē sistere certo*
Non pateris malefida gradu; hinc per somnia terres
Hinc ementito blandiris mollior ore.
Sed parce, & fausto firmâ tua munera casu,
Quámque triumphatâ Ioniâ, bona Diua, parasti,
Hanc tu, nam donum illa tuum est, grata accipe laurum.
Si faueas, Phrygio voueo de marmore templum.
Heic vbi, quos duce te, superatô ex Orbe triumphos
Iam retuli, & referam, puro tibi Mentor in auro
Effinget; spolijsque tholus fulgebit opimis.

Centum aras, centum auratis de more iuuencos
Cornibus, intacto lectas centúmque bidentes
De grege, solemnésque statô tibi tempore ludos
Æternùm Voueo, seri, labentibus annis
Sanctâ eâdemque edent quos relligione nepotes.
Accipe pro tantis meritas quas, Diua, rependo
Intereà dono grates, quòd stratus Araxes,
Quódque tuâ inuectus Scythiam feliciter aurâ
Vt veni, vt vidi, vt vici. Sp. *Nil fortè reliquit*
Vincendum Fortuna tibi? Cyr. *Quidnam ampliùs?*
Sp. *Ipsum*
Quod premis. Cyr. *At nostris quid non modò subiacet armis?*
Sp. *Victa tibi Scythia est?* Cy. *Rex victus.* Sp. *Victus? an æquo*
Mauorte? Cy. *Et captus.* Sp. *Virtute?* Cy. *An semper apertâ*
Fors belli tentanda manu? Sp. *Verúmne referres*
Fronte Ducem? num fortè virum? tu qui artibus hostes
Opprimis, armatos quos vincere gloria sola est.
Cy. *Hostis es.* Sp. *An iustus?* Cy. *Iustus, quicumque recusat*
Imperijs parere meis. Sp. *Quô iure?* Cyr. *Deorum*
Arbitriô, qui te mihi subijcere. Sp. *Tyrannos*
Iam fateâre Deos. Cyr. *Qui dant mihi regna?*
Sp. *Quid aufers*
Quæ dederunt? Cyr. *Quæ sorte viro meliore regēda*

Quàm Puero tradunt. SP. *Puero, cui fortior ætas,*
Quàm tibi, fœmineis Persa addicende quasillis.
Hic est ille puer, primà quem fronte suorum
Persa tuus stantem obstupuit trepidásque fugantem;
Hoc (refuga ad citius distorques lumina flammas,)
Vultu acies, latéque suos vndante tuorum
Sanguine mergentem campos. Quem vincere ferro
Diffisus, tentasti astu. num vincere turpi
Fraude licet? CY. *Num consilio.* SP. *Verùm ista latrones*
Bella decent. CY. *Sed habent pulcram Mauortia laudem*
Furta, quibus saluo imprudens deluditur hostis Milite.
SP. *Egregij hæc virtus ducis est?* CYR. *Lex cura suorum.*
SP. *Principis incolumi famâ* CYR. *Famam vna tuetur*
Tuta salus populi, cui Regem impensiùs æquum est
Quàm sibi consulere. SP *At quænam victoria maior*
Quàm si commissis superetur viribus hostis?
CY. *Certa dolis vbi stat victoria, non ego sorte*
Incertâ pugnasse velim, nec bellica tanti
Nomina emam, celebrésque ingenti strage meorum
Venabor titulos. SP. *Quin tu secura profunda*
Dum tibi dúmque tuis inhonestâ consulis arte,

Tempora prætuleris noctis, quò fœda laterent
Solertis probra ingenij, nè conscius alto
Dum rutilos currus Titan propellit Olympo,
Nobile spectasset facinus, quod dirius ipse
Panè Thyestæis conuersus abhorruit escis.
Non structis superasse Scytham damnabere mensis?
Commutasse epulis acies? crateribus enses?
Oppressisse mero vinctos, somnóque iacentes?
Quorum, si pactum aduersis contendere signis
Fortè foret, neque tu vultus, neque tu arma tulisses.
CY. *Magnificæ Pueri voces, cui tanta catenas*
Discrimenque inter Fortunæ audacia crescit.
SP. *Crescit in aduersis animus, quem frangere frustrà*
Vi tentes. CY. *Durà domitos vi frangere Reges*
Haut soleo; plena est, si flectam gloria. SP. *Flectes?*
Flectere quàm possis, franges priùs. CY. *At tibi tantos*
Fortè animos flectet seruatæ gratia vitæ,
Quam do. SP. *Non capio.* CY. *Vitámne?* SP. *Perire volenti*
Crux vita est. CY. *Viues* SP. *Mortem precor. hoc mihi summum*
Munus erit; si fas quicquam deposcere Regem,
Hoc Rex Massagetûm poscit. CY. *spoliabere regno,*
Hæc mea sors; vitâ donabere gratia victo.
SP. *Te penes est vitâ captum spoliare, meo me*
Non, regno spoliare, tuum est. Ego Massagetûm Rex.

Et viuam & moriar; licet inter vincula captum
Spargapisem teneas, non me, non me tamen omnem
Persa, tenes: Tomyris superest pars maxima nostri.
Hæc Regnum tenet, & te contrà inuicta tenebit.
CY. *Fœmina?* SP. *Fœmineo regnantes corde viriles*
Experière animos. nescis, quid fœmina possit,
Quid Mater? CYR. *Nato indomitam expugnabo*
Parentem.
Heic age: nam primo sistam tibi tempore Matrem.
Soluite constrictum; sint libera brachia vinclis.
Te saluum, saluósque simul iubeo esse Dynastas.
Tu Persis adsuesce meis: hæc dextera nostræ
Testis erit fidei: hoc animos tibi pignore firmo.
Nulla Halyattiadem ceperunt tædia nostris
Summisisse manus sceptris, qui regia quondam
Jura dabat Lydis, multò nunc auctus honore
Vltrò seruitium patitur; cui mollia regni
Pignora Cambysem blandósque Parentis amores
Credidimus. Regum Regi seruire recusas?
SP. *Seruire haut didicit, natus qui sceptra tenere est*
CY. *Regnat, qui Cyro seruit.* SP. *Tua tu tibi regna*
Talia habe; talem Dominum non perferet vnquam
Rex Scythiæ. Sed quid iam libertate receptà
Fata moror? grata data sunt mihi munera sortis.
POTASTI ME CYRE MERO, TIBI SANGVINE LIBO.

MATER

MATER INEXPLETAS ALIO TIBI SANGVINE FAVCES
IMPLEAT, ET LARGO SATIANDVM INGVRGITET AMNE.

CYR. *Dij prohibete nefas, Iuueníque auertite letum.*
BAG. *Occidit.* CYR. *O! funesta noua inclementia sortis.*
O! infausta data, Iuuenis, tibi gratia vitæ.
Heu! non hos manibus detraxi: vincula in vsus;
Hostili qui te sic nullum ob dedecus ense
Transfodis, & crudo pectus mucrone resoluis.
Auferte hinc functum famuli, quem ferre recusant
Lumina, & extremos Puero superaddite honores.
Rex erat; & suprà teneros ingentibus annos
Longè animis præstans, quâque ille ætate vigebat,
Iudiciò nulli inferior, mirabar acumen
Ingenij, & quæ rara inerat prudentia verbis.
Ite ergò, Regum Reges sic funera curent.
Funus Achæmenio Iuueni de more parate.
Vulnus odoratis primùm detergite lymphis,
Et totum Syrio perfundite corpus amomo,
Purpureâ indutúmque stolâ, Scythicásque sagittas
Arcúmque & pharetram, quôque hic succinctus obibat
Prælia in aurato componite acinacin alueo.
Persica feralem solemni ex ordine pompam
Massagetæ Persæque duces per castra sequantur.

Crœse tuâ cessit captus Scytha fraude; Scythissa
Artibus est ludenda meis. Scythica, Arsaca castra
Promptus adi, rapidaque vales quo turbine linguæ
Reginam flecte in thalamos, inopina memento
Funera Spargapisæ à nobis depellere, in ipsum
Reijce, qui raptâ fodit sibi pectora sicâ.
Tecum aufer loculum Pueri, & Matri simul offer.
Centum illum iuuenes aureis comitentur in armis.
Nostrâ Bagophanes ingentia munera gazâ
Suppetat; his capito Reginæ pectora donis.

CHORVS
PERSARVM.

QVO nos fata vocant?
Sic Perses dubijs semper trepidabit in armis,
Lætitiaque metus comes
Semper erit, paritérque recurrent?

Non sic atra diem
Nox fugat, aut fluctus truduntur fluctibus, anceps
Vt gaudentem animum pauor,
Et curæ anxia pectora turbant.

Non sic ver Hyemem,
Ver Æstas premit, Æstatem Autumnus, Hyémsque
Autumnum horridior rapit,
Vt mœror vaga gaudia vertit.

Massagetâ domitô

Vix latum effusis hilares Paana cohortes
Concinuere modis; caput
Vix varijs cinxère corollis.

Vix proni Genio
Fecimus, & pleno miles sicca ora Lyæo
Proluit, vt trepidis stupor
Incubuit super agmina castris.

Quid pugnasse iuuat,
Si vicisse piget? tantì victoria vanit?
Exiguo Scythiam emimus
Sanguine, capto Rege potiti.

Hei! mihi quòd Iuuenis
Ipse suum effodit lethali vulnere pectus,
Crudelis nimiùm sibi,
Grata exosus munera vitæ.

O! quantâ genitrix,
Vt nati letum accipiet, bacchabitur irâ.
Hircanâ raptis immaniùs
Pignoribus Tigride acta feretur.

Quid Cyrus paueat?
Quid Tomyrin, dubiæ quid curet somnia noctis?
Nec gratâ capiat manu
Fortunæ aurea dona fauentis?

O! Regna, ô! dubiæ
Anxia dona Deæ, tanto discrimine vitæ

Quid Reges mala quaritis?
Quid tanto precio empta paratis?

Nescitis cupidi
Regnorum quid regna ferant, quámque anxia vita
Sors Reges grauiùs premat?
Quámque sit inuidiosa potestas?

Non Reges faciunt. ‹‹
Immensa Orbis opes, quas altè effossa profundis ‹‹
Tellus visceribus vomit, ‹‹
Inque altos conduntur aceruos. ‹‹

Non qua Sidonijs ‹‹
Aut Lacedamonijs toga tincta ignescit ahenis; ‹‹
Non quod nobile regiam ‹‹
Frontem altè diadema coronat. ‹‹

Non arces, trepidi ‹‹
Quas super excelsâ rupe exstruxêre tyranni; ‹‹
Vnde suis populos regunt ‹‹
Arbitrijs edictáque ponunt; ‹‹

Non auro solida ‹‹
Argentóue trabes & culta palatia gemmis; ‹‹
Non varijs peri-stromata ‹‹
Qua sparsit Babylonia monstris. ‹‹

Non Regem hac faciunt ‹‹
Non si etiam totum teneas sub legibus orbem. ‹‹
Si Libs, si Scytha seruiat, ‹‹

Hesperiásque & Eous adoret. "

Hæc Reges faciunt, "
Nullâ turbari placidum formidine pectus; "
Et nullis scelerum intima "
Vulturibus præcordia rodi. "

Quem non æthereis "
Tota per obliquos quatient stridentia tractus "
Nubibus, impauidum quoque "
Tela caput tua, Iupiter, icent. "

Non hunc ambitio, "
Inconstánsque fauor Fortunæ tollat; at auræ "
Haut vnquam leuis immemor "
Immodicos contemnat honores. "

Cui fallax miserum "
Laudis amor pectus stimulat, quem vana perurit "
Gloria, quô volat altius, "
Corruit horridiore ruinâ. "

Quæ sapiens proprijs "
Distinxit Natura locis, perrumpit & æquat "
Quâ Mundus latè patet, "
Regnandi malesuada cupido. "

Primus Achæmenijs
Constituit Regem populis Cambyse creatus.
Non Regni furor heic stetit,

Regna nouis mox Medica iunxit.


Hinc bellum Aſſyrijs
Intulit, Aſſyrios domuit. Regnóne potitus
Aſſyrio, exſtincta eſt ſitis?
Hinc Syrios Arabáſque ſubegit.

Deuictóne quies
Parta Arabe ac Syrio eſt? Etiam ſpoliandus auitô
Sceptrô Halyattiades fuit.
Chryſorhoas potandus & Hermus.

Harpagus Ionios
Æolióſque agitat populos Caráſque Phrygáſque
Myſóſque & Lycios domat
Et vaſtum premit Helleſpontum.

Maſſagetam aggredimur.
Iámque Arcton petimus. Quæ tandem meta laborũ?
Dij Perſæ immodicam Ducis
Regnorum compeſcite flammam.





ACTVS IV.

TOMYRIS. TANAIS.

ALAZO.



H! Tomyri. ah! mater. ſed enim quid inania, Matris
Nomina fruſtrà agitas? vbi ſunt tua pignora Mater?
Natus vbi ille tuus? tua ſola & ſera voluptas,
Spargapiſes tua progenies? ſic publica, mater
Gaudia ſeruaſti? crudelis Mater! iniquo
Martis inexpertum iuuenem committere ludo.
Præceps conſilium Matris, præcépſque iuuentæ
Virtus, Nate tuæ! potui dimittere Natum
Infelix? ſed enim dimiſi inuita; nec vnquam
Miſiſſem; virtus ſed me tua, Nate, coëgit.
O! vis dura tuæ virtutis, Nate, parentis
Flectere quæ mentem potuit, quoties mea, Nate,
Genua prehenſaſti ſupplex, ſuppléxque rogaſti?
Genua prehenſantem repuli, repulíque rogantem?
Viciſti tamdem, & pulcræ quo pectora laudis
Ardebant tua, vicit amor, flexítque Parentem.

TAN. *Festa coronatis Scythicas celebranda per oras*
Hæc lux Massagetis eat, vlteriúsque rubentis
Peruolet Auroræ croceum noua fama cubile.
To. *Quis felix nostras pulsaret nuntius aures?*
TAN. *Fudimus hostiles ingenti strage cateruas.*
Spargapisem modò læta tuum, Regina, superbis
Insignem adspicies spolijs, captiuáque Cyri
Brachia, Achameniósque Duces sub vincla trahentem.
TOM. *Quæ fuerint, prode, incepti primordia belli?*
TAN. *Constiterant vtrinque acies. Simul actus in vnum*
Fluxit Achamenides cuneum, clypeósque repentè
Contudit; hinc promptus Scythica agmina flexit Amastres.
Et geminis iussit constringi cornibus hostem.
Extemplò increpuère tubæ, stridentiáque æra
Exacuère animos, miles fremit, vndique clamor
Dissonus exoritur, pedibus tremit excita tellus;
Laxantur cunei, liquidas volat acta per auras
Telorum seges, & tenebris Hyperiona condit.
Quàm multâ, hybernus simul horrida nubila rumpit
Iupiter, effusi per terras grandine nimbi
Culminibus crepitant tectorum, & brachia vastis
Protenta arboribus frangunt; sic densa comantes
Tela grauant galeas, clypeísque micantibus horrent.
Ipse moræ impatiens primò tuus agmine pugnam
Spargapises ciet. huc rapitur quà densior hostis

Quem

Quem frustrà clamore, manúque moratur Amastres.
Ille furore irâque amens perrumpit apertas
Ferrò acies, primos Pueri admiratur Amastres
Massagetaque omnes animos. Cui languida virtus
Hareat, aut gelidà coëat formidine sanguis,
Spargapisem medios inter qui conspicit hostes?
Ollì nulla vnquam frustrà contorta sagitta,
Et quoties arcum tendit, tot Persica leto
Corpora dat: sed quas strages qua funera ferro
Ediderit, quémque ille Erebi demiserit antris,
Non mihi si lingua centum, si vocibus ora
Centenis centena sonent, Regina, referrem.
Qualis Marmaricis non dudùm exercitus aruis
Exsultans genitore Leo duce molle virentem
Si quando nullo pecus obseruante per herbam
Inuasit, totum rabidis discerpit ouile
Dentibus, atra fames & inexsaturata cruoris
Instigat ventrem rabies. pars mergitur vndis,
Pars saltus petit exanimis, pars conditur antris.
Dúmque hostes fugiunt, fugientûm auersa vibratis
Terga fatigamus iaculis, constrata cruentis
Arua cadaueribus squallent: hi corpora nudant,
Exuuiásque legunt, castris tum deinde potiti
Diripimus gazam immanem, mensísque paratis,
(Aurea namque mero hic veteri tum fortè fluebant
Pocula, & apposita steterant vario ordine lances)

Massagetæ indulgent Genio, fusique per herbam
Plenos Mæonio vertunt crateras Iaccho.
Crastina vbi Eois roseos eduxerit vndis
Leucothoë currus, totâ quæcumque supersunt,
Relliquias Scythiâ extremo certamine tollent
TOM. *Læter ego, an timeam? mens haud secura pericli*
Hæret, & incerto rerum stupet anxia casu.
Qualis in æquoreis dum fluctibus æstuat alnus
Quam Notus hinc, illincque Noto contrarius vrget
Actus Hyperboreis Aquilo violentus ab oris.
E gelido illa Noti rapitur modò flamine in altum,
Declinante hostis rapidas Aquilone procellas;
Qui modò collectis incumbens viribus, ipsa
Pronus in aduersum conuersâ fronte retorquet
Æquora iacta Notum; neutri manet illa duorum
Præda; sed ambiguâ huc illuc impellitur aurâ.
Me timidam Nati virtus facit, at mage structis
Incubuisse epulis Puerum simul audio. fallunt
Insueta incautos. AL. *Custos Puero hæret Amastres.*
TO. *Tutior est longè Natis custodia Matrum.*
AL. *Durior illorum est.* TO. *Longè immò blandior.*
AL. *At quò,*
Quantò Natorum torrentur amore Parentes?
TO. *His studium vt placeant, amor, vt mereantur alumnos.*
Dúmq; placere studet sibi credita pignora perdũt.
Sed quis hic attonito glomerat vestigia cursu?

ARASPES. TOMYRIS. ALAZO. CARDAMYLE. HARPALICE. CLEONICE. CHORVS AMAZONVM.

PRO! *superi, túque, ô Scythica tutela, Deúsque*
Gentis Phœbe, tuos liquidum super æthera currus
Dum regis, auersis non indignatus habenis
Fugisti, igniuomaque retrò cessère quadriga?
Vidisti infandum facinus, structásque Scytharum
Exitio mensas? vidisti vndantia Baccho
Pocula, quæsitásque elementa per omnia lances?
Vidisti Persam fugientem, auidúmque paratas
Massagetam rapuisse epulas? Regémque, Ducésque
Vidisti terram premere & discumbere presso
Agmina Massagetûm cubito, Assyrióque capaces
Vertere more cados, plenísque haurire Lyæum
Faucibus, & somno vinóque iacere sepultos;
O! Scelus, ô! contexta nouâ certamina fraude.

TOM. *Ecquid Araspa refers?* AR. *Samatarum exercitus omnis*
Interijt. TO. *Quid tu?* TA. *Quid ego nisi vera tulissem?*

TO. *Spargapisæ hos igitur victori ornare triumphos,*
Perfide, suadebas genitrici? Illudere nobis
Hoc caput incestum, & talem contexere fraudem?
Non dirâ hanc pœnâ lueres? TA. *Si conscius? esto.*
Quinetiam Regina nouis, ni vera locutus,

Suppliciis concide reum; mendacia at iste
Quid fingit tantum Matri adlatura dolorem?
Spargapisem vicisse negas? vicisse fatere
Aut ego te Stygia hoc trudam sub Tartara ferro.
TOM. *Quid me importunis horum angunt iurgia ludis?*
AR. *Vicit Spargapises, cui mox victoria summo*
Massagetûm rapta exitio. TA. *Quid perfide narras?*
TO. *Fare.* AR. *Vnus tantâ, Regina, è clade superstes*
Effugi. TOM. *Quid Spargapises? viuítne? iacétne*
Sublatus ferro? AR. *Vino intercepta Scytharum*
Turba omnis cecidit. Nam dum fugit hostis, &
instat
Spargapises, multâ Persarum strage cruentus,
Incidit in mensas, totóque iacentia campo
Dolia, quae siccis auidus Scytha faucibus haurit.
Tum ruere hinc illinc omnes, quò Bacchicus illos
Abripit in diuersa furor; pars lapsa recumbit;
Obruitur pars mersa mero; pars languida somno
Corripitur; latas alij celebrare choreas
Incipiunt, lepidóque pedes attollere saltu.
Massagetes positis passim iacet ebrius armis.
Hac simul insidias tumulo conspexit ab alto
Medus, Aquis veluti torrens pluuialibus auctus
Ingenti strepitu excelsi de culmine montis
Labitur, inque sata, inque vias rapido agmine fertur;

Angusto nec vt antè coërcet margine fluctus;
Desilit, atque alto constrictum membra sopore
Aggreditur. Quas hic strages ? quos cædis aceruos
Edidit ? exhaustum exhaurit cum sanguine Bac-
chum;
Permistúsque mero cruor alto è vulnere manat.
Insultat Medus temulentis, fusáque pressis
Corpora proculcat pedibus; depressa iacentes
Si qui fors capita attollunt, voluuntur, & arcus
Contendunt frustrà; torpore soluta labascunt
Brachia, deficiúntque meri sub pondere vires.
Sic pecudum in morem cæduntur, & omnia latè
Sarmatico exultans Medus loca sanguine complet.
Non secus ac Libycis prædatrix turba Leonum
Errabunda plagis, ouium stabula alta pererrans
Incustoditum si quando effregit ouile,
Gaudet hians, immanè fremit, lacerátque vorátque
(Vrget enim violenta fames atque ardor edendi)
Lanigerum ore gregem, multô tunc ebria fauces
Sanguine raptarum pecudum fumantibus hæret
Visceribus superincumbens, premitúrque sopore.
Tum sumptis rapit arma animis collecta virûm vis,
Quos trepidante fugâ in montes timor egerat altos,
Casum vlciscuntúrque gregem, mactántque Leones.
TOM. *Spargapises meus interijt ? fœdâque cohortes*
Sarmaticæ occubuère tuâ, Persa improbe, fraude?
Rumpe omnes Legate moras, tumidum ocyùs hostem
Rursus adi, & Natum viuum functúmue reposce.

Hic stabo, nec, dum redeas, gressum inde mouebo.
SIC *igitur dubio tua credere pignora Marti*
Debueras miseranda Parens? hæc præmia sanæ
Nempe refers mentis? sed quis temerarius error
Hic mentis fuit? an crimen malesana Parentis,
Reginæ officium appellas? vel vincere Natus
Debuit, aut animam sæuis effundere in armis.
Nec me consilij tædet. AL. *Damnosius vllum*
Quod Regno, vel quod Matri infelicius esse
Hoc potuit? TO. *Numquid sano quòd iniqua Parentis*
Consilio Fortuna fuit? AL. *Facilem arguit error*
Obsequij Matrē in Natū. TO. *Indulgētia Matris*
In sobolem damnet Matrem; prudentia Reginam
Absoluit. AL. *Fortuna vna est prudētia victrix*
TO *An rerum infaustis faustísue euentibus ipsa*
Facta notanda putas? AL. *Belli concredere sortem*
Sat fuerat Ducibus. HARP. *Nos hæc Regina manebant*
Prælia: Amazonijs victoria debita turmis
Hæc erat.
Si mihi, si socijs bellum hoc, Regina, dedisses,
Non tales vnquam Scythicâ de gente triamphos
Vanus Achæmenides ageret; tibi saluus adesset
Spargapises, turpi cautas nec fraude puellas
Cepisset, vitæ illecebras sanctæque perosas
Vina venena animæ castóque inimica pudori.
Hâc capies facili arte viros, quàm sobria longè

Fœmina vitabit. Tom. *Regnum Rex ipse tueri*
Debuit, & patria trepidis occurrere rebus.
Al. *Quid Puer?* To. *At quid Rex?* Al. *Quid, quam suspensa tenere*
Militis arma metu? quem Regis cura tuendi
Vrgeat, atque animos trepidanti in pectore frangat.
To. *Portentum sine Rege acies; Informe videri* "
Quale solet trunco humanum sine vertice corpus, "
Vnde animos viresque trahit, subiectáq; quò vult "
Membra mouet: Capitis moles, sed corruit exsors "
Exanimésque iacent resolutis viribus artus. "
Al. *Non deerat Ducibus virtus.* To. *Prudentia fortes* "
Deseruit. Al. ***Prudens iuuenili ardore Senectus*** "
Fortè regi bello potuit. To. ***Septísne paternæ***
Debuit ille domus claudi, Regníque labante
Mole puellares inter mollescere turbas?
Qualis Thessalici quondam Chironis alumnus,
Cærula quem genitrix gelidâ subduxit ab Ossâ
Peliacísque antris, vectúmque per æquora molli
Deposuit Scyro, imbelli Lycomedis in aulâ,
Virgineos inter simulatâ virgine cœtus.
Al. *Grandior exspectanda fuit melioribus ætas*
Viribus, & vegetâ dum fortius indole robur
Firmasset Puero, tenerósque laboribus artus.
To. *Spargapisem genuï non mollis ad otia luxus,*
Aut pacis studia; at primis qui feruidus acrem
Militiam, & graue Martis opus toleraret ab annis.

Materna longùm latitare querebar in umbrâ;
Non feruentem athram, rigida non frigora bruma
Ferre, nec ingenita testem virtutis Olympum
Spectare, & magni pratendere nomina Regis.
AL. *Longauo opprimitur virtus iuuenilis ab hoste* "
TO. *Non spectanda fuit Regni discrimine virtus?*
AL. *Martia non capiunt inuestes bella puellos.* "
TO. *Vt multus timor incubuit, patriam occupat hostis,* "
Lex neque Pontifices, primo neque flore puellos, "
Longauósque Patres, non me, matrésque nurúsque "
Virgineásque manus fatalibus eximit armis. "
AL. *At casum Pueri doleo, indoleóque Parenti.*
Heu! nullis iactura vnquam reparabilis armis.
TO. *Hoc doleo, insidijs captum, victúmque nefandis*
Artibus, ac iustis non occubuisse sub armis.
AL. *Ignauos Persarum animos, & nescia vera*
Pectora virtutis! TO. *Sed longè ignaua Scytharum*
Pectora, túque tua nimiùm virtutis, Amastres,
Immemor, immò data fidei. vah! proditor: ô quàm,
Quàm dignas, scelerate, tuo pro crimine pœnas
Nunc lueres, si te saluum mihi fata reseruent.
AL. *Saluô saluus erit Natô.* TO. *Perijsse peremptô*
Ter felix Natô, cui si fors ipse superstit,
Occidet. occides? iusto parce ira dolori.
Viuet; sed vita vt pigeat; pudeátque. AL. *Perisse*
Quid malè vtrumque putas? TO. *Grauis est furor iráque Regum.* "

AL.

AL. *Tantum támque immane nefas committere Regem?*
Vir pueri innocuo macularet sanguine dextram?
Rex Regis? TO. *Regi Rex parceret? hostis vt hostis?*
AL. *Reges Regna petunt.* TO. *Reges odêre, sibíq;* "
Ferre pares nequeunt. AL. *Sacratas sanguine Regum* "
Horrescunt temerare manus, intactáque Regum "
Regibus est semper vita. TO. *An quis pectora diris* "
Æternùm flagrant odijs, sceptrúmque, salúsque "
Ancipiti semper trepidat discrimine fortis? "
AL. *Inter vincla Puer tantum quì terreat hostem?*
TO. *Viuit.* AL. *Viuat.* TO. *At hic quam dudùm viuet, iniquum*
Vt suspecta fides Regum est, noctésque, diésque "
Impendere suis credet ceruicibus hostem.
AL. *Non petet insontem ferro.* TO. *non sceptra gerentem?*
Et quibus hic immanè inhiat, quaque ipse tenere
Credit? AL. *Quæ seruas.* TO. *Animam antè hoc corpore soluet,*
Quàm sceptra hac rapiat, diuturno carcere Natum
Constringat, sauàque etiamnùm morte trucidet.
Nunquam ego care tuam, Matrísue, ô Nate, salutem
Seruitiò populi redimam. AL. *Redimendus ab hoste,*

Massagetûmque Duces pariter, quibus ira pepercit
Hostica. To. *Quo precio? Natum redimam are Ducésque?*
Hos ferro redimam, precium hôc mucrone rependam.
Quid moror? aut Nati non probrũulciscor? & hares
Mater? amásne? stupórne tuum exstinxisset amorẽ?
Quò pietas? rapto sic hostis inultus ouabit
Spargapise? illatum hoc non tolles dedecus ense?
Quæ mora? quis te torpor habet? miseranda quid vltrà
Subsistis? Natum, haut repetes? vox lenta, nec illum
Iam repetis? lenta hac etiam est; Ignaua, recepto
Non frueris? Al. *Quod vis nequijt, mora sæpe parauit.*
To. *Impatiens diuturna nequit, victúsque dolore*
Tempora ferre animus, siditque grauante subactus
Pondere. Al. *Tantisper retine, Regina, dolorem;*
Iam iam Oratores aderunt, accepta ferentes
Imperijs responsa tuis: si reddere captos
Persa neget, Scythicísque abcedere protinus oris;
Quæ via consilio sit pertentanda, requires.
Quamquam equidem, sedenim mentẽ sententia fallat,
Iustáque Dij tua vota boni, Regina, secundent,
Vix spero, cui tanta animos victoria in hostem
Extulit. To. *Elatos frangam, tristiq; triumphum*
Mutabo luctu; nec cuius corda mouere
Fœmineæ potuêre minæ, iusta arma mouebunt.

Spargapisem Matri reddet. AL. *Quò se abripit amẽs?*
Ingemit, exclamat, queritur, furit, æstuat, horret,
Luminibus flammas vibrat. Trieterica Bacchi
Qualis Mænas vbi celebrat, penitúsque receptò
Bacchatur furibunda Deo, seu per iuga Pindi,
Seu per sacrata fœcunda cacumina Nisæ.
Aut qualis catulo lactante orbata Leæna
Quem prædo absentem obseruans per deuia Matrem
Secretâ abripuit latebrâ, horrentíque recessu;
Illa gemit magnisque quatit rugitibus æthram
Horrendùm exululans, diri anxia si qua latronis
Signa pedum obseruet: Rabido sic illa furore
Ardet, & in varias animum rotat inscia partes,
Ereptam, si quà sobolem arte euincat ab hoste.
To. *Prô! Superi.* AL. *Exclamat.* To. *Sed quæ liqui-*
dum aëra circùm
Peruolat vmbra, oculos fuscis quoque verberat alis?
AL. *Quâ specie obuersante oculis, Regina, moueris?*
To. *Hei! mihi, Spargapisæ, nec me mea lumina fallũt,*
Visa modò vmbrosæ velamine nubis imago.
AL. *Viuorúmne leues cœli volitare per auras*
Vera putas simulacra hominum, post funera quales
Per noctem fama est animarum errare figuras?
To. *Ah! video, rursúmq; oculos subit. Hei! mihi, qualis,*
Quàm tristi sese ore ferens? quantóque rigantur
Imbre genæ? viuis, Nate? an tibi perfidus hostis
Fortè animam eripuit? túne inter, Nate, silentum
Errares vmbras viduatus honore sepulcri?

Al. *Quò tibi mens, Regina?* To. *Tua quò gloria forma,*
Nate, abijt? Al. *Quamnam effingunt vaga lumina laruam?*
Nil video. Harp. *Nec ego quicquam.* Car. *Nec ego aëra circùm*
Adspicio quicquam. Cl. *Quid purius æthere?* Har. *Nunquam*
Purâ adeò Titan lustrauit lampade terras.
Car. *Nulla serenatò squallet nubecula cœlò.*
Cle. *Nulla; sed hæc simulacra animo sibi inania fingit,*
Quisquis amat. To. *Quãtò pulcra squalore rigescit*
Frontis honos! Al. *Vana est, quam fingis in aëre, forma.*
To. *Ignea quis liuor mutat labra, turpis & auream*
Cæsariem fœdat squalor, totóque cruentus
Corpore inhorrescit, proprióque in sanguine mersus
Ostentas crudò transfossum vulnere pectus?
Al. *Crede, tui falsâ luduntur imagine sensus.*
To. *Téne ego, Spargapise, adspicio?* Al. *Regina?* To. *Supremo*
Gnate tuam alloquio dedignarisne Parentem?
Ah! fugis; at te, Nate, sequor; verùm aufugis, & te
Quò sequar, ignoro. Nate, orbatámne Parentem
Deseris infelix simulacrum? Al. *Occurrite, prona*
Corruit, & Nati iacet exanimata dolore.

Huc Sociæ properate, & vultum adſpergite lymphis.
HAR. *Hei! mihi quàm ſubitâ clauſit ſua lumina nocte.*
Occidit. CAR. *Occidimus! Scythiæ ſpes occidit omnis.*
CL. *Heu! quæ te tantis redimet labefacta ruinis*
Sarmatica inſolitum gens expertura tyrannum?
HAR. *Quid tantùm meruère Scythæ, crudelia Diuûm*
Numina? nõ ſat erat Natum rapuiſſe, niſi eòdem
Immeritò immeritam raperetis funere Matrem?
At non ſic Scythicis, prædo immaniſsime, Regnis,
Rapto Spargapiſe, & raptâ potière Parente?
Mille rotas, mille antè neces, quàm Perſica collo
Excipiat iuga, Maſſagetûm genus acre ſubibit.
CH. AM. I. *Quæ miſeranda tuis ſupereſt modò Maſſagetûm gens*
Spes rebus? Regem rapuit tibi Perſa. ſupremum
Reginam Scythiæ columen fera Parca repentè
Abſtulit II. *Heu! geminam Regni reparare ruinam*
Quis poterit? captum vincla inter detinet hoſtis
Spargapiſem, Genitrix ſubito exanimata dolore
Concidit! heu! Scythicæ nimiùm aduerſantia genti
Numina? III. *Sauromatûm quæ tanta iniuria, iniqui*
Cælicolæ, immeritam ſic vltrò perdere gentem?
Non ſat erat fœdâ ſobolem eripuiſſe Parenti
Fraude, niſi inſontem mactetis morte Parentem?
IV. *Ah! Sociæ, ſaluò quæ virginitatis honore*

Victorem effugiet, nì versâ in pectora dextrâ
Intactum vnâ omnes redimamus morte pudorem?
AL. *Regina? ah! nullus pallenti spiritus ore*
Prosilit, exanimis iacet, heu! HARP. *Regina?* AL. *perit vox,*
Lux oculis, color ore obijt, calor ossa reliquit.

PROXASPIS. ACHARSIS. HARPALICE. ALAZO. TOMYRIS. TANAIS.

HORRIDA *quæ nostras modò vociferatio ad aures*
Pertigit? HARP. *Occidimus!* PR. *Quæ lamẽtabilis ore*
Vox iterũ insonuit? ACH. *Regina exorta propinquis*
Auditur castris, ni me mea decipit auris.
PR. *Quid gemitus, quídue ista volunt lamenta? quid imbres*
Fusi oculis? mœstísque sonans vlulatibus æthra?
Quídue etiam illiso resonantia pectora planctu?
Massagetisne nouos fortuna infensa tumultus
Excitat? HARP. *Occidimus! victam spectate dolore,*
Spargapisem ob captum, Matrẽ, fusásque Scytharum
Fœdo astu turmas. PR. *Arcúsque trucésque sagittas*
Corripite, ô Socij, spectatorémque nefandi
Criminis intortis Hyperiona figite telis.
AL. *Regina?* TO. *Ha!* AL. *Spirat, circúmfert lumina, viuit.*
HARP. *Viuit? spẽ lapsam ergò animis reuocate, sorores.*
TO. *Quis locus hic? quæ me circumstat turba? quis error*

Mentis? Achamenias inter captiua phalangas
Nonne ago, Spargapisæ rigidis comes addita vinclis?
Quos ego, quos denso latus agmine circumstantes
Cerno? tacent omnes, stupefactique ora coërcent.
AL. *Cernis Alazonem, & fidas, Regina, ministras,*
Harpaliceen sociásque, & circumstantia cernis
Agmina Massagetûm, Proxaspin, Acharsin, Araspē
Sauromatûmque Duces alios. TAN. *Legatus ad hostē*
Missus adest.

TOMYRIS. MARSAGETES.

VBI Natus? vbi? hunc necdum ille remisit?
Necdum etiam prædo ille meis excessit ab oris?
MAR. ***Rursus Achæmenium, Regina inuicta, tyrannum***
Vidimus horrendâ exsultantem clade Scytharum.
Vtque in conspectum veni, prior occupat vltrò.
Dicite Massagetæ; quis vos furor egit, vt æquo
Dum vobis licuit coniungi fœdere Persis,
Dijs bellum aduersis gerere, ingentique Scytharum
Strage modò, obtulimus quam spōtè, reposcere pacem?
Atque ego sic contrà.
Non pacem oramus. Tua quos, Persa inclyte, terrent,
Arma petant. Quid te tanto sua Regna tegentem
Milite Massagetes metuat? captone triumphas
Spargapise, attritísque infando crimine nostris
Viribus? an fœdâ infractos hâc clade putares

Massagetas posuisse animos, veniámque rogare?
Scilicet hoc virtutis opus, quò fortius vllum
Haut fuit, illustri consecrandumque tropaeo.
Quem ferro nequeas superare, hunc fallere vino?
O! scelus, ô! probrum; ô! labes, tantum aethere ab alto
Spectasti facinus, Diuûm pater atq; hominum Rex?
An reside haeserunt vltricia fulmina dextrâ?
At caelo residè, atque Deos placidissimus inter
Otia age, indomito satis est virtutis in hostem
Massageta. Nostras hic vicerit arte cohortes;
Maiores nobis animi post vulnera crescunt.
Non omnes cecidère Scythae. Quota turpe suorum
Pars superest vltura probrum?
Nam neque tot puro cernuntur in aetheris axe
Sidera, Atlantais vbi Sol currum obruit vndis;
Non tot in Hyrcano colludunt gurgite pisces,
Aut tantâ obtegitur niue Caucasius, horrida postquã
Arctous effusa iugis bruma aëre strinxit;
Quanta tuas, clauso antè diem quàm serus Olympo
Hesperus eripiat terris, Dux agmina contrà
Faemina componet turmas, nî tu ocyùs oris
Excedas, Rex Persa, suis, Natúmque, Ducésque,
Quisquis & immani superest de clade, remittas.
Imperat hoc Tomyris. Quòd si parere recusas
Massagetûm iurat Martem dominúmq; Deúmque,
Exsatiabit inexsaturabile sanguine pectus.
Tu, nè faemineas vltrà irritaueris iras.
Vix ea fatus eràm, tumidò cùm haec reddidit ore

Quos

Quos ego iamdudum? quid iustos pectoris ignes
Tempero? nec Scythicæ vlciscor conuicia linguæ?
Quin vos infami suffixos stipite tolli,
Aut dira auulsâ nudari corpora pelle?
Aut rabidis tradi tigribus, sæuisque vorandos
Vulturibus iubeo? Sanctæ inuiolabile numen
Sed fidei prohibet: Tantùm me ignoscere nôrint,
Quantùm errare queant. Ite, atque hæc nostra referte
Reginæ imperia, oblatos quandò illa Hymenæos
Spreuerit, in iustos nos exarsisse dolores.
Spargapisæ instare interitum, Scythiæque supremum
Exitium, sua séque meis nì viribus vltrò
Permittat; properate, moras queror, ocyùs ite.
Ac nè quâ, testor superos; ratione Scythissam
Demeruisse velim, atque suis succurrere regnis,
Mittam Oratores. Audisti immania Persæ
Responsa, atrocésque minas, atque horrida iussa.
Nunc animis, Regina, opus est, superandáque primis
Spargapisæ Fortuna tui contraria cœptis.
TOM. *Nil me vana mouet tumidi iactantia Persæ,*
Nil moror immanésque minas virésque tyranni,
Nil equitum innumeras alas, peditúmque cohortes.
Nil tantam cum Prole manum cecidisse meorum.
Massagetam Persæ opponam; licet iste polorum
Astra æquet numero, pelagíque fuientis arenas.
Vicerit arte meos, vincam virtute: Puellum
Fraude vir, ense virum melior sed Fœmina vincet.

Nati error Scythicos poterit frænare furores.
Nati amor vlturæ noua ſuppetet arma Parenti.
Quâ tamdem iſte etiam connubia perfidus ambit
Noſtra fide? cepère meum conuiuia Natum
Sic etiam incautam capient connubia Matrem?
Quis verò hic celeri attonitus pede nuncius? an non
Maſſagetes? vnde, ô non exſpectatus Amaſtres?
Non mihi Spargapiſem tecum Socióſque reducis?

AMASTRES. TOMYRIS. ALAZO. MARSAGETES.

O! *REGINA, ô! quis?* To. *Quid, Amaſtre, exterritus alto*
Corde premis? tacitæ reſera penetralia mentis.
Am. *Heu! quæ me abruptâ tellus abſorbeat aluo?*
Quis modò cæruleis Nereus caput obruat vndis?
Æthereâ quis ab arce tonans me Iupiter imas
Vindicibus flammis Erebi detrudat ad vmbras?
To. *Eloquere.* Am. *Heu! diro verba intercepta dolore*
Promere lingua nequit. To. *Dubiam deſiſte morari*
Ancipiti mentem caſu: grauiora minari,
Quàm tulerim, Fortuna nequit; ſunt ferrea nobis
Pectora, ſtántque omnes contrà imperterrita caſus.
Quinetiam prohibete nefas quicumque Deorum
Sceptra datis, Regéſque placet Dijs eſſe ſecundos,
Si meus, ipſe meus fors duro occumbere leto

Spargapises potuit, non me hæc sors dira mouebit.
AM. *Quin potiùs miseranda iube, Regina, silere*
Funera Spargapisæ. AL. *Fatis sic raptus iniquis*
Spargapises cecidit? TO. *Sæuis cecidisse sub armis*
Hunc vtinam Matri referas. AM. *Ferro occidit.*
TO. *Hoc Dij,*
Hoc semper Tomyris vos obtestata rogauit,
Si Puerum in dubij certamina Martis euntem
Decretum primis animam deponere in annis,
Hunc patriæ audirem pro libertate perisse.
At tu quid functi celasti funera Nati
Perfide? HAR. *Testor ego sceptrum, Regina, tuúmq;*
Sarmaticæ testor caput inuiolabile genti,
Spargapisæque sacros Manes, vos conscia testor
Numina me functi latuerunt funera Nati.
TO. *Mentiris scelerate, reum arctis stringite vinclis,*
Et leto date, celatæ hæc sint præmia mortis.
MARS. *Hæc exantlatos refero post mille labores*
Præmia? Achæmenijs cur non occumbere telis
Heu! potiùs misero licuit? Regina? TO. *Scelestum*
Abripite hinc. MAR. *Seruis hæc Reges præmia pendunt?*
" *Queis bene si facias, omnis vanescit in auras*
" *Gratia, si pecces minimùm, implacabilis ira est.*
TO. *Quidnam hunc mussantem accipio? Tu, cætera Nati.*
AM. *At non illa fuit tumulenti gloria Persæ;*
Ipse sui retulit leti decus. Ille dolore

Panè amens, artésque animo fœdásque reuoluens
Insidias Persarum, atque indelebile fati
Dedecus, obscuro vt clausum se robore sensit,
Tergeminísque sibi circumdata brachia vinclis,
Quósque etiam eripuit melior fortuna cruentâ
Clade Duces, quas non lacrymas, agróque sonantes
Pectore singultus fudit? Non maior ab imis
Erumpit fremitus terris, si quandò profundis
Visceribus conclusa soli vis horrida venti
Quærit iter, tentátque cauis prorumpere ab antris.
Hos inter luctus, mœstaque atrocia mentis
Supplicia, heu! quoties cœlum incusauit, & ense
Nudatum latus ingemuit, nec libera nodis
Brachia in innocuos armari pectoris vltrò
Posse sinus? Quos non intereà captiua Scytharum
Turba Ducum mœstò concepit corde dolores?
Quos gemitus non illa dedit, lacrymásque profudit,
Spargapisem horrendis turbari vt luctibus audit?
Ipse ego qui lateri adsideo mollire furentem
Heu! quoties tentaui animum? sed qualis ab altis
Præcipiti effusus rapitur de montibus amnis
Agmine rapturus siluas, segetésque domósque,
Quem frustrà obiectis insanâ mole tenere
Aggeribus tentant, rapidósque auertere fluctus
Agricolæ, ille obices instructásque eruit artes.
Sic Nato dolor accrescit magis, ægra vbi mentis
Vulnera materni auxilij spe tollere tento.
TO. *Vincere qua tantum possit medicina dolorem?*

AM. *Intereà Cyri imperijs accersimur, ipse*
Intrepido perstans animo, tacitúsque freménsque,
Nescio quid meditans, obliquáque lumina torquens
Regem adit, admonitus qui mos solemnis Eois
Proiecto sanctos venerari corpore Reges,
Abnuit, hos contrà reddi sibi iussit honores.
Rex sum, inquit, Regis nomen nec vincula tollunt.
TO. *Degeneres animos prodit metus: hunc ego talem*
Progenuisse scio, Matrémque Patrémque probãtem
Atque animis totos referentem & talibus ausis.
"*Exsurgit similes generosum semen in ortus,*
"*Magnanimósque refert soboles virtute Parentes.*
AM. *Postquàm introgressus coràm stetit, increpat vltrò*
Persa prior. Quæ caussa Scythas non iussa subire
Impulerit, Tomyrínque suos horrere Hymenæos,
Cùm peteret? Quid non audaci pectore contrà
Spargapises? neque enim intrepidos iniecta Puello
Vincula mollierant animos. vultu ipse feroci
Exprobrat insidias Persæ, fraudésque pudendas.
Nil minùs; hic Nato nobísque immania tolli
Aera iubet. Parent famuli; reuerentia Regis
Regem, quamquam hostem, mouit. Simul ipse soluta
Spem præter geminis sensit sibi vincula palmis,
Pendentem adstantis Persæ, mirantibus ollis
Attonitísque metu, quid agat, lateri abripit ensem,

Panè amens, artésque animo fœdásque reuoluens
Insidias Persarum, atque indelebile fati
Dedecus, obscuro vt clausum se robore sensit,
Tergeminísque sibi circumdat a brachia vinclis,
Quósque etiam eripuit melior fortuna cruentâ
Clade Duces, quas non lacrymas, ægróque sonantes
Pectore singultus fudit? Non maior ab imis
Erumpit fremitus terris, si quandò profundis
Visceribus conclusa soli vis horrida venti
Quærit iter, tentátque cauis prorumpere ab antris.
Hos inter luctus, mœstaque atrocia mentis
Supplicia, heu! quoties cœlum incusauit, & ense
Nudatum latus ingemuit, nec libera nodis
Brachia in innocuos armari pectoris vltrò
Posse sinus? Quos non intereà captiua Scytharum
Turba Ducum mœstò concepit corde dolores?
Quos gemitus non illa dedit, lacrymásque profudit,
Spargapisem horrendis turbari vt luctibus audit?
Ipse ego qui lateri adsideo mollire furentem
Heu! quoties tentaui animum? sed qualis ab altis
Præcipiti effusus rapitur de montibus amnis
Agmine rapturus siluas, segetésque domósque,
Quem frustrà obiectis insanâ mole tenere
Aggeribus tentant, rapidósque auertere fluctus
Agricolæ, ille obices instructásque eruit artes.
Sic Nato dolor accrescit magis, ægra vbi mentis
Vulnera materni auxilij spe tollere tento.
TO. *Vincere quæ tantum possit medicina dolorem?*

AM. *Intereà Cyri imperijs accersimur, ipse*
Intrepido perstans animo, tacitúsque freménsque,
Nescio quid meditans, obliquáque lumina torquens
Regem adit, admonitus qui mos solemnis Eois
Proiecto sanctos venerari corpore Reges,
Abnuit, hos contrà reddi sibi iussit honores.
Rex sum, inquit, Regis nomen nec vincula tollunt.
TO. *Degeneres animos prodit metus: hunc ego talem*
"*Progenuisse scio, Matrémque Patrémque probātem*
Atque animis totos referentem & talibus ausis.
"*Exsurgit similes generosum semen in ortus,*
"*Magnanimósque refert soboles virtute Parentes.*
AM. *Postquàm introgressus coràm stetit, increpat vltrò*
Persa prior. Quæ caussa Scythas non iussa subire
Impulerit, Tomyrínque suos horrere Hymenæos,
Cùm peteret? Quid non audaci pectore contrà
Spargapises? neque enim intrepidos iniecta Puello
Vincula mollierant animos. vultu ipse feroci
Exprobrat insidias Persæ, fraudésque pudendas.
Nil minùs; hic Nato nobísque immania tolli
Æra iubet. Parent famuli; reuerentia Regis
Regem, quamquam hostem, mouit. Simul ipse soluta
Spem præter geminis sensit sibi vincula palmis,
Pendentem adstantis Persæ, mirantibus ollis
Attonitísque metu, quid agat, lateri abripit ensem,

Strictóque innocuum pectus mucrone recludit.
Hoc quoque in exanimem contorquens effera Cyrum
Lumina, supremò conclusit carmine fatum.

POTASTI ME CYRE MERO, TIBI SANGVINE LIBO.
MATER INEXPLETAS ALIO TIBÌ SANGVINE FAVCES
IMPLEAT, ET LARGO SATIANDVM INGVRGITET AMNE.

TO. *Sic erit. Ultrices animum obfirmate Sorores.*
AM. *Sic fatus, pronò concussit pectore terram.*
Indoluit casu Perses, doluítque soluta
Brachia, quæ tales non dissoluïsset in usus.
Aufugi, infandi referens tibi nuncia casus.
AL. *O! vera, heu! nimiùm misera obuersata Parētis*
Luminibus functa tristissima prolis imago.
TO. *Ergo ab Achæmenijs reducem te, perfide, castris*
Adspicio? Persam euasisti vt debita rupta
Præmia perciperes fidei? promissa Parenti
Hæccine discedens dederas? vbi, perfide, Natus?
Sic igitur per te perijt? per te occidit ille,
Ille meus? viduæ non reddis pignora Matri,
Quæ tibi crediderat? scelerate, inceste, nefande,
Spargapisem mihi redde meum. AM. *Regina?* TO. *Parenti*
Non reddis sobolem? AM. *O! vtinam, mihi pendere vitam*
Pro Nato liceat, cæcóque Acheronta sub imum

Carcere constringi, prolémque hâc sorte Parenti
Reddere, & æthereas functam reuocare sub auras?
TO. *Non reddis?* AM. *Quid non Stygios discludis hiatus,*
Tartareúmque chaos reseras, sæuissime Fratrum,
Nec Tityi volucrem, Æolidæue immane latronis
Saxum humeris, Phrygijque famem, aut Ixionis orbem;
Danaidúmque paras vrnas, atque horrida monstri
Septena Arcadij capita igniuomámque Chimaram,
Quotquot & inferno latitant portenta barathro,
Si reus? TO. *Huic totis pellem diuellite membris,*
Inque oculos date Massagetûm, & producite castris.
AM *Has me, me nullum ob scelus has tu pēdere pœnas,*
Crudelis Regina, iubes? TO. *Me, perfide, damnas?*
Legem dixisti, pœnam quid ferre recusas?
At vos si Matris miseræ infortunia tangunt,
Bis viduam adspicite, ô ciues, & coniuge sponsam,
Et matrem sobole, atque orbatum Principe Regnum.
Rex vester perijt; perijt meus vnus; & vnus
Vester amor. Scythicæ spes optatissima gentis,
Spargapises perijt, lacrymas date, pectora palmis
Plangite, vasta sonet mœstis vlulatibus æthra.
Sed quid ego ad planctus quídue ad lamenta Parentis
Vos voco? desinite, & raptâ tibi prole Genetrix
Sola sinus imple lacrymis, vlulatibus agros
Sola imple, sola infestis tua pectora palmis

Tunde Parens, dissolue comam, rade vnguibus ora.
Sit tuus iste dolor, Mater. Sic ergo dolori
Permittes, ignaua, manus? sed sume viriles
Massagetûm Regina animos, vlciscere Natum,
Mater, cuique praes Regnum, Regina, tuère,
Rex, esto, occiderit; non hic tamen occidit omnis.
Pars melior superest; superest Regina, Parénsque.
Et varijs Tomyris superest exercita bellis.
Instrue, dum redeo, turmas & bellica castris
Signa dari, Proxaspi, iube; celerémque parato,
Sancte Zamolxis, equum Mithra, qui semine longo
Phœbæum Pyroenta refert. Iacta alea; Marte
Res tentanda tibi, Tomyri; est: tua funera, Nate,
Mœstæ animos animis Matri maioribus augent.
Aut Perses nostrâ victus dextrâ occidet; aut hic
Sanguineâ, Tomyrin moribundam extendet arenâ.

PROXASPIS. ACHARSIS.

O*CCIDIMVS! gentíque tuæ exitialis acerbas*
Consilij pœnas luimus, Regina, potenti
Passa parùm prudens reserari imperuia Regni
Claustra hosti. Quæ tanta animos spes extulit, ipsum
Effusos Scythiæ Persam intrà admittere fines?
Nullæ vbi prævalidis cinguntur mœnibus vrbes?
Non quæ insultantis spatiosa per æquora cursus
Militis infrænare queant sublimibus arces

Adfixæ

Adfixa scopulis, grauis adspectantibus horror.
Nulla Scythis sunt tecta, altóque infossa domorum
Fundamenta solo; sedenim stridentia paruas
Plaustra domos quocumque trahunt, quos Phœbus eodem
Stare locò numquam geminatâ lampade vidit;
Gens patrios imitata Deos. Sic flammeâ totô
Esseda circumagens Sol irrequietus Olympô
Torquet inexhaustô fluitantia tempora motu.
ACH. *Turritis claudunt ignauos mœnibus vrbes.* "
Adspice Massagetùm validissima mœnia, turmas.
Quid Scytha formidet, cuì forti in pectore virtus
Æstuat, ense potens & formidabilis arcu?
PR. *Scilicet his Scythiâ hostes propulsauimus armis.*
ACH. *Quæ fraudi obstaret virtus?* PR. *Prudentia.*
ACH. *Rerum* "
Fortuna imperium totô sibi vendicat orbe. "
PR. *Persicus vt Scythicis accessit finibus hostis,*
Pressit & aduersum violenti littus Araxis,
Oppositâ fuerat tunc propulsandus ab vndâ.
ACH. *Traiectô Tomyris Persam interclusit Araxe.*
PR. *Jam Scythiam tenet.* ACH. *An Scythicis, Proxaspis, in aruis*
Nunc agis? aut patriâ extorris tellure vagaris?
PR. *An secura tibi Scythia est?* ACH. *Securior omni*
Hac mihi tellure est; quam nec mihi Persa, nec vllus
Eripiat, sola eripiet cum sanguine Parca.

Nec Parca eripiat; ſed quæ morientis amatam
Ob patriam grata excipiet gremióque recondet.
PR. *Hei! mihi quod Scythici ſpes occidit inclyta Regni*
Spargapiſes, tótque aduerſo Mauorte perempti
Maſſagetûm cecidêre Duces, prô! maximus ille
Ille etiam atroci pœnâ excruciatus Amaſtres.
Quo ſtante heu! nuper Scythia inconçuſſa ſtetit res,
Pulcra cui victô victoria ceſſerat hoſte,
Rapta infelici nimiùm victoria caſu!
ACH. *Reginâ regimur, quâ non prudentior vlla*
Quæ clarâ virtute Duces ſuperemінet omnes,
Bellatrix, non illa rudes exercita lanas
Fœmineâ tractare manu calathóſque Mineruæ;
Sanguineum at primis Martem tentare ſub annis.
Infrenes nunc flectere equos, nunc ſaxea diſci
Pondera in æthereas contentis viribus auras
Iactare, & celeres curſu præuertere tigres;
Nunc rigidos lunare arcus; nunc longa reductâ
Spicula contorquere manu, immaníque feroces
Mole ſolo iaculis proſternere docta Leones,
Atque Aquilas ſummâ volitantes figere in æthrâ.
Quin vbi magnanimo viduata eſt coniuge, dira
Prô! quem immaturo mactauit funere Parca,
Firmius hoc nunquam Regnum ſtetit. Hinc petat Indus;
Hinc ruat Heſperius; furat Arctos; & intonet Auſter;
Innumeras Medus geminet quoque prædo cohortes,

Stet Tomyris; stabit res inconcussa Scytharum.
PR. *Rara est fœmineo virtus in pectore.* ACH. *Nullì*
“ *Præclusa est. sensum nec sexum hæc deligit; omneis*
“ *Admittit, seu vir fuerit, seu fœmina. Numquid*
“ *Sæuior ipsa suo longè est mare fœmina Tigris?*
“ *Et socium superat virtute Leæna Leonem?*
“ *Pantherã Pãthera? Lupum Lupa? Fœmina maior*
“ *Sæpe viro est. Non te sexum mentita virilem*
Sed melior virtute viro subit orbis Eoi
Ille tremor, belli tot nobilitata tropæis
Assyriæ Regina plagæ? Quas protulit olim
Fœmineas acies Scythia, Europámque Asiámque
Thermodontiacis longò fusæ agmine ab oris
Quæ domuère armis, spoliísque ingentibus auctas
Et latè dominas suspexit Amazonas Orbis?
Vnde genus Regina trahit. Iam tota Scytharum
Imperijs pareret Eos, quíque incubat agris
Nunc Perses Scythicis, victus iuga nostra subiret.
At censet Regina obseruantissima iuris
Externos grande esse nefas inuadere fines;
Nec tam aliena cupit, quàm vult sua Regna tueri.
PR. *Spargapise ereptò?* ACH. *Reparanda iniuria ferro.*
Non omnes perière Scythæ, pars maxima restat;
Si Persis numero inferior, non viribus impar.
Iam dispone acies prior, instantémque coactis
Massagetis præuerte hostem, dum tempora belli

Prona fauent, structóque tuus stet in ordine miles.
Maiores animos hic hauriet, ille pauorem.
Fortior est, sic esse putant, qui prouocat hostem. "
Toto ardê vultu, quô toto pectore miles "
Ardeat; vna Ducis stat enim victoria vultu. "
Proxaspi ante tubam gelidos tremor occupat artus?

PR. *Non mihi, sed patriæ caueo.* A. *quid pectore voluis?*

PR. *Num posset mihi Persa capi, quâ ceperit arte.*
ACH. *In Persam signis non congrediemur apertis?*
PR. *Ductori decus est ingens sine cæde suorum* "
Vincere. Sed Regina redit. ACH. *Quàm illustris in armis?*

TOMYRIS. PROXASPIS. ACHARSIS. AMASTRES. ARASPES.

QVID *factô, Proxaspi, opus est?* PR. *Quin antè videndum*
Quid consultô opus est. TO. *Refugis certamen?* PR. *an armis*
Bellica res geritur tantùm? quàm debilis illa est. "
Hasta, Gigantæis quamuis contorta lacertis, "
Consilio exarmata. TO. *Hæres committere Persæ* "
Massagetam? PR. *Ille arte vt vicit, vincendus & arte.*
Si sors consiliis faueat, Mars cœpta secundet.

TO. *Exciderítne fides Scythicæ virtutis?* PR. *At æquum est*
Ipsum eâdem ludi artificem, quâ luserit arte.
TO. *At quibus ille dolis victor ludetur?* PR. *Honestis.*
TO. *Fallere difficile est ludentem fraudibus hostem.* "
PR. *Victorem facile est.* TO. *Tantâ auctum strage meorum?* "
PR. *Nil metuit. facilè opprimitur securus ab hoste.* "
TO. *Post Natum ille nouas etiam Matri instruit artes:*
Sed faciam ipse suis capiatur vt artibus auctor.
ACH. *Prô! quod adest fœdum, horrendum, illatabile monstrum?*
TO. *Per tota hoc passim monstrum deducite castra.*
Hoc sceleris precium referat, quicumque pudendâ
Se sinet arte capi, incautósque euaserit hostes.
AM. *Hei! mihi, quod precium officij? quàm horrenda relati*
Dona refers casus? quàm tristia pendis, Amastres,
Supplicia, heu! toto nudatus tergore membra.
TO. *Hinc monstrum hoc rapite atque altâ suspendite fixum*
Arbore, carniuoris detúrque volucribus esca.
AM. *Ah! quid Achæmenijs non tecum occumbere castris,*
Spargapises, licuit, ferróque resoluere pectus?
Fœdatæ maculas tersissem sanguine famæ;

Nec tantâ gemerem oppressus sub mole malorum,
Fœminei expositus documentum immane furoris.
ARASP. *Quid non arma paras? aciem instruis? haut procul hostis*
Imminet, innumeris peditúmque equitúmque tremendus
Agminibus. PR. *Quà progreditur?* AR. *Quà plurima densis*
Horrescit silua ilicibus. PR. *Siluámne teneret?*
AR. *Non tenet.* PR. *Opportuna meis occasio cœptis.*
Tu modò castra inter reside, Reginâ, paratos
Insidijs dum lectâ acie prior occupo saltus.
TO. *Sed nisi Dijs bellum auspicibus, Proxaspi, gerendum.* "
Interpres Diuûm referet responsa Zamolxis.
PR. *Curabis, Regina, Deos; quò dextra vocat sors,*
Huc propero; magni breuis est fortuna fauoris. "
TO. *Sed læto hic vultu redit. Ecquid signa Deorum*
Portendunt, effare, Mithræ Superúmque Sacerdos?

ZAMOLXIS. TOMYRIS.

CERTA *Scythas, Regina, manet victoria, magnis*
Macte animis; hæc sunt haut vana oracula vatis,
Hoc quoque Cœlicolûm auguria ostentántque monéntque,
Cæsáque solemni qualem de more litari

Iussisti: faustos portendit victima casus.

TOM. *Ede, manum sacer an placidâ ceruice ministri*
Exspectarit equus, quaque hic moriturus ad ora
Phœbi signa dedit. ZA. *Læta hæc, Regina, fuerunt.*
Namque Hyperionio prognatum semine Xanthum
Aërij vt versùs duxi sacra culmina montis,
Spontè iter ingreditur, pedibúsque eductus arenam
Sparsit ouans, blandúmque fremens sursùm extulit ora,
Tergeminis resonas quatiens hinnitibus auras.
Frontem attrectaui blando, compsíque comantes
Candenti ceruice iubas; ac montis vt alto
Constitit ipse iugo, nullâ vi impulsus vtrumque
Ritè genu inflexit, fronti admotámque bipennim
Immotus tulit, atque vnò dextrum in latus ictu
Procubuit, roseóque impleuit sanguine lances.

TO. *Massagetæ sperate.* ZA. *Aliud neque certius vllum*
Oblatum ætherias seruanti impensiùs auras.
Nam belli incertus Scythicæ fata abdita gentis
Martísque ancipites casus certâ auguris arte
Inquirens, puram obseruo noua monstra per æthram
Aduena visa mihi est Aquila inter nubila, multâ
Cæde cruenta auium, quas vastò Oriente subactas
Quâ rostro, quâque vnco atrox laniauerat vngue,
Præpete Araxæas pennâ dum transuolat vndas,
Insequitúrque ferox pulcram per inane columbam

Obuius aërias tum fortè Columbulus auras
Tranabat (geminâ fœtus de prole superstes
Hic erat) abreptum lacerat, tenerâque potitus
Prædator sobole; innocuos rostro exsecat artus.
Immanem aduersùs volucrem, Natíque cruentam
Sanguine, crudeli mentem inflammata dolore
Par animis, sed longè armis & viribus impar
Congreditur Genitrix, prædatorémque, secundâ
Innumerarum auium Matri auxiliante cateruâ,
Coniicit in laqueos, interclusámque profundis
Saltibus interimit, proprióque in sanguine mergit.

AL. *Reginam, ô Superi, & Patriæ seruate Parentem.*

ZA. *Macti animis Ciues, non me cœlestia fallunt*
Omina, corripite arma, & me duce, & auspice in hostem
Irruite; aggredior primus, Persámque lacesso.
Quis vero hic trahitur? quis tu? quid poscis? & vnde?

ARSACES. TOMYRIS. ZAMOLXIS.

SVM Regis Regum Orator, Tomyrin peto. To. *Persam*
Sistite. Prode tui Orator mandata Tyranni.
ARS. *Debuerat victis Rex Regum imponere leges*
Massagetis,

Maſſagetis, ferróque rebellem exſcindere gentem,
Non molli tentare viâ veſtra agmina primo
Qui victor Marte edomuit, Regémque Ducéſque
Abduxit, Scythicæque decus florémque iuuentæ
Funditùs exſtinxit, veſtríſque cecidit in aruis:
Innata at Regi pietas, quâque omnibus anteit
Regibus, & quâ ipſos æquat, Clementia, Diuos,
Non pœnis hominum hunc patitur non ſanguine
paſci.
Nec iuſtis etiamnùm irarum pectora flammis
Succendi; armatam media inter prælia dextram
Hæc tenet, ardentémque ignoſcere ſontibus vltrò
Edocuit; nec cùm aduerſas proſternere turmas
Poſsit, & hoſtili ſubmergere ſanguine campos,
Supplicibus vitam & veniam concedere gaudet.
Exemplò Pater alme tuô, vacuum aëra vano
Qui tonitru quatiens Cyclopea tela minantes
Conijcis in ſcopulos, noſtríque horrore cruoris
Flammea in Arctoos iacularis fulmina montes.
Jlle quoque inuicto cùm debellare rebelles
Marte queat, Scythicóſque armis componere faſtus,
Atque tuos, Regina, animos, placet ire per omnes
Pacis amicitiæque vias, ſacratáque ſancti
Fœdera rurſùm offert thalami ſociósque Hymenæos;
Inque triumphati conſortia mutua Mundi
Te vocat. O quaſcumque amplò Sol adſpicit Orbe
Auguſtas inter Tomyri auguſtiſsima, matres.
O! felix, nimiùm felix, quam tanta bonorum

Obuius aërias tum fortè Columbulus auras
Tranabat (geminâ fœtus de prole superstes
Hic erat) abreptum lacerat, tenerâque potitus
Prædator sobole; innocuos rostro exsecat artus.
Immanem aduersùs volucrem, Natíque cruentam
Sanguine, crudeli mentem inflammata dolore
Par animis; sed longè armis & viribus impar
Congreditur Genitrix, prædatorémque, secundâ
Innumerarum auium Matri auxiliante catervâ,
Conijcit in laqueos, interclusámque profundis
Saltibus interimit, proprióque in sanguine mergit.

AL. *Reginam, ô Superi, & Patriæ seruate Parentem:*

ZA. *Macti animis Ciues, non me cœlestia fallunt*
Omina, corripite arma, & me duce, & auspice in hostem
Irruite; aggredior primus, Persámque lacesso.
Quis verò hic trahitur? quis tu? quid poscis? & vnde?

ARSACES. TOMYRIS. ZAMOLXIS.

SVM *Regis Regum Orator, Tomyrin peto.* To. *Persam*
Sistite. Prode tui Orator mandata Tyranni.
ARS. *Debuerat victis Rex Regum imponere leges*
Massagetis,

Massagetis, ferróque rebellem exscindere gentem,
Non molli tentare viâ vestra agmina primo
Qui victor Marte edomuit, Regémque Ducésque
Abduxit, Scythicæque decus florémque iuuentæ
Funditùs exstinxit, vestrísque cecidit in aruis:
Innata at Regi pietas, quâque omnibus anteit
Regibus, & quâ ipsos æquat, Clementia, Diuos,
Non pœnis hominum hunc patitur non sanguine
pasci.
Nec iustis etiamnùm irarum pectora flammis
Succendi; armatam media inter prælia dextram
Hæc tenet, ardentémque ignoscere sontibus vltrò
Edocuit, nec cùm aduersas prosternere turmas
Possit, & hostili submergere sanguine campos,
Supplicibus vitam & veniam concedere gaudet.
Exemplò Pater alme tuò, vacuum aëra vano
Qui tonitru quatiens Cyclopea tela minantes
Coniicis in scopulos, nostríque horrore cruoris
Flammea in Arctoos iacularis fulmina montes.
Ille quoque inuicto cùm debellare rebelles
Marte queat, Scythicósque armis componere fastus,
Atque tuos, Regina, animos; placet ire per omnes
Pacis amicitiæque vias, sacratáque sancti
Fœdera rursùm offert thalami sociósque Hymenæos;
Inque triumphati consortia mutua Mundi
Te vocat. O quascumque amplò Sol adspicit Orbe
Augustas inter Tomyri augustissima, matres.
O! felix, nimiùm felix, quam tanta bonorum

Obuius aërias tum fortè Columbulus auras
Tranabat (geminâ fœtus de prole superstes
Hic erat) abreptum lacerat, teneráque potitus
Prædator sobole; innocuos rostro exsecat artus.
Immanem aduersùs volucrem, Natíque cruentam
Sanguine, crudeli mentem inflammata dolore
Par animis, sed longè armis & viribus impar
Congreditur Genitrix, prædatorémque, secundâ
Innumerarum auium Matri auxiliante cateruâ,
Conijcit in laqueos, interclusámque profundis
Saltibus interimit, proprióque in sanguine mergit.
AL. *Reginam, ô Superi, & Patriæ seruate Parentem:*
ZA. *Macti animis Ciues, non me cœlestia fallunt*
Omina, corripite arma, & me duce, & auspice in hostem
Irruite; aggredior primus, Persámque lacesso.
Quis vero hic trahitur? quis tu? quid poscis? & vnde?

ARSACES. TOMYRIS. ZAMOLXIS.

SVM Regis Regum Orator, Tomyrin peto. TO. *Persam*
Sistite. Prode tui Orator mandata Tyranni.
ARS. *Debuerat victis Rex Regum imponere leges*

Massagetis,

Massagetis, ferróque rebellem exscindere gentem,
Non molli tentare viâ vestra agmina primo
Qui victor Marte edomuit, Regémque Ducésque
Abduxit, Scythicæque decus florémque iuuentæ
Funditùs exstinxit, vestrísque cecìdit in aruis:
Innata at Regi pietas, quâque omnibus anteit
Regibus, & quâ ipsos æquat, Clementia, Diuos,
Non pœnis hominum hunc patitur non sanguine
pasci.
Nec iustis etiamnùm irarum pectora flammis
Succendi; armatam media inter prælia dextram
Hæc tenet, ardentémque ignoscere sontibus vltrò
Edocuit, nec cùm aduersas prôsternere turmas
Possit, & hostili submergere sanguine campos,
Supplicibus vitam & veniam concedere gaudet.
Exemplô, Pater alme tuô, vacuum aëra vano
Qui tonitru quatiens Cyclopea tela minantes
Coniicis in scopulos, nostríque horrore cruoris
Flammea in Arctoos iacularis fulmina montes.
Ille quoque inuicto cùm debellare rebelles
Marte queat, Scythicósque armis componere fastus,
Atque tuos, Regina, animos, placet ire per omnes
Pacis amicitiæque vias, sacratáque sancti
Fœdera rursùm offert thalami sociósque Hymenæos;
Inque triumphati consortia mutua Mundi
Te vocat. O quascumque amplô Sol adspicit Orbe
Augustas inter Tomyri augustissima, matres.
O! felix, nimiùm felix, quam tanta bonorum

S

Obuius aërias tum fortè Columbulus auras
Tranabat (geminâ fœtus de prole superstes
Hic erat) abreptum lacerat, teneráque potitus
Prædator sobole; innocuos rostro exsecat artus.
Immanem aduersùs volucrem, Natíque cruentam
Sanguine, crudeli mentem inflammata dolore
Par animis, sed longè armis & viribus impar
Congreditur Genitrix, prædatorémque, secundâ
Innumerarum auium Matri auxiliante cateruâ,
Conijcit in laqueos, interclusámque profundis
Saltibus interimit, proprióque in sanguine mergit.
AL. *Reginam, ô Superi, & Patriæ seruate Parentem:*
ZA. *Macti animis Ciues, non me cœlestia fallunt*
Omina, corripite arma, & me duce, & auspice in hostem
Irruite; aggredior primus, Persámque lacesso.
Quis verò hic trahitur? quis tu? quid poscis? & vnde?

ARSACES. TOMYRIS. ZAMOLXIS.

SVM Regis Regum Orator, Tomyrin peto. To. *Persam*
Sistite. Prode tui Orator mandata Tyranni.
ARS. *Debuerat victis Rex Regum imponere leges*
Massagetis,

Massagetis, ferróque rebellem exscindere gentem,
Non molli tentare viâ vestra agmina primo
Qui victor Marte edomuit, Regémque Ducésque
Abduxit, Scythicaque decus florémque iuuentæ
Funditùs exstinxit, vestrísque cecidit in aruis:
Innata at Regi pietas, quâque omnibus anteit
Regibus, & quâ ipsos æquat, Clementia, Diuos,
Non pœnis hominum hunc patitur non sanguine
pasci.
Nec iustis etiamnùm irarum pectora flammis
Succendi; armatam media inter prælia dextram
Hæc tenet, ardentémque ignoscere sontibus vltrò
Edocuit, nec cùm aduersas prosternere turmas
Possit, & hostili submergere sanguine campos,
Supplicibus vitam & veniam concedere gaudet.
Exemplô Pater alme tuô, vacuum aëra vano
Qui tonitru quatiens Cyclopea tela minantes
Conijcis in scopulos, nostríque horrore cruoris
Flammea in Arctoos iacularis fulmina montes.
Ille quoque inuicto cùm debellare rebelles
Marte queat, Scythicósque armis componere fastus,
Atque tuos, Regina, animos, placet ire per omnes
Pacis amicitiaque vias, sacratáque sancti
Fœdera rursùm offert thalami sociósque Hymenæos;
Inque triumphati consortia mutua Mundi
Te vocat. O quascumque amplô Sol adspicit Orbe
Augustas inter Tomyri augustissima, matres.
O! felix, nimiùm felix, quam tanta bonorum

S

Massagetis, ferróque rebellem exscindere gentem,
Non molli tentare viâ vestra agmina primo
Qui victor Marte edomuit, Regémque Ducésque
Abduxit, Scythicæque decus florémque iuuentæ
Funditùs exstinxit, vestrísque cecidit in aruis:
Innata at Regi pietas, quâque omnibus anteit
Regibus, & quâ ipsos æquat; Clementia, Diuos,
Non pœnis hominum hunc patitur non sanguine
pasci.
Nec iustis etiamnùm irarum pectora flammis
Succendi; armatam media inter prælia dextram
Hæc tenet, ardentémque ignoscere sontibus vltrò
Edocuit, nec cùm aduersas prosternere turmas
Possit, & hostili submergere sanguine campos,
Supplicibus vitam & veniam concedere gaudet.
Exemplo Pater alme tuô, vacuum aëra vano
Qui tonitru quatiens Cyclopea tela minantes
Conijcis in scopulos, nostríque horrore cruoris
Flammea in Arctoos iacularis fulmina montes.
Ille quoque inuicto cùm debellare rebelles
Marte queat, Scythicósque armis componere fastus,
Atque tuos, Regina, animos, placet ire per omnes
Pacis amicitiæque vias, sacratáque sancti
Fœdera rursùm offert thalami sociósque Hymenæos;
Inque triumphati consortia mutua Mundi
Te vocat. O quascumque amplô Sol adspicit Orbe
Augustas inter Tomyri augustissima, matres.
O! felix, nimiùm felix, quam tanta bonorum

Congeries manet, & tanti spondentur honores.
Non Scythiæ inculti saltus, atque horrida semper
Terra gelu, putríque graues fœtore paludes
Regnum erit; aut census taurorum armenta, gre-
gésque
Montibus exactarum ouium; brutúsue per altas
Errabunda ferens populus vestigia siluas,
Cui cibus agresti pendentes arbore fructus,
Conuulsaque imis raptim radicibus herbæ,
Aut montanarum immani qui more ferarum
Crudâ rugitus ventris dape sedat, & hausto
Lacte sitim, mixtum quod sanguine potat equino,
Seruiet imperijs; sed Perses, Medus, opúmque
Assyrius diues, quósque Orbe subegit Eoo
Victor Achæmenides pronâ ceruice Tyranni
Ante tuos, Regina, pedes diademata ponent.
Ibis Achæmenias populô acclamante per vrbes;
Téque polo missam credet, simul ora videbit.
Quáque gradus tuleris, violæ spargentur, itérque
Serta tegent, nostris quæcumque leguntur in hortis.
Hinc quoque cinnameis fumabunt ignibus aræ.
Illinc vittati succinctâ veste Ministri
Intactâ innumeras cadent ceruice iuuencas.
Ecbatana adspicies ductásque ad sidera turres,
Regiáque Eois variata palatia gemmis.
Heic læto occurrent tibi Persides agmine matres.
Innuptæque nurus varijs flauentia sertis
Innexæ capita, & festiuis æra dextris

Cymbala pulſantes. Lepidas vtrinque choreas
Mixtus aget pueris chorus ingenuíſque puellis.
Heic inter veneranda Æternæ Numina Flammæ
Turba maritales Iuuenum feret inclyta tædas.
Dona ferent populi, proníque ante ora iacebunt.
Aurum Indi, lectas Erythræo littore gemmas
Æthiopes, patrio fulgentia vellera fuco
Atque intertextas aureo ſubtegmine veſtes
Aſſyrij, molléſque dabunt ſua thura Sabæi.
Suſcipito ergo mei deuotos Principis ignes,
Qui tum, Diua, tuos altè oſsibus hauſit amores,
Diuinæ famæ vt formæ peruênit ad aures;
Eois quâ te nulla eſt conſpectior oris,
Tantò formoſis formoſior omnibus vna,
Clara inter quantùm Phœbe ſupereminet aſtra.
Hoc faciunt oculi, Cœli quibus aurea cedunt
Sidera, Caucaſeas poſsint qui ſoluere cautes,
Parrhaſiámque ſuis inflammare ignibus Arcton.
Hoc quoque Cyprigenæ non conceſſura capillis
Cæſaries facit, & caſto pudor ore verendus:
Illáque Iunoni maieſtas proxima, quâque
Martia bellipotentem æquas Tritonida, virtus.
Sic Venus, & thalamis quæ præſidet alma maritis
Ætherei faueat ſoror & matrona Tonantis.
Hæc quoque coniugij ſint olim præmia veſtri,
Progenuiſſe Deos, animis qui & robore Patrem,
Et vultu Matrem referant; nec diſpare regnô
Maſſagetæ Perſæque æternô fœdere viuant.

Nam quid fortè graues aleres sub pectore flammas
Regina, ablatò castra inter Persica Natò?
Testor ego Superos, Terrámque, Ignémque, Mithrámque,
Prolis ab effuso est immunis sanguine Cyrus.
Quæ Regi in blandos designabatur amores.
Regis amicitiæ at Iuuenis malè conscius, ensem
Militis abripuit lateri, adductúmque sub imo,
Heu! cita vis fati, mucronem pectore condit.
Hunc Rex, hunc Persæ fleuère, atque vltima functo
Dona tulit, iustósque pius Rex soluit honores.
Hâc mersum Assyriò caput arcâ inclusit amomôs
Gemmatâ sanctos cineres hâc condidit vrnâ,
Æternum fidei monumentum & pignus amoris.
Has tibi prætereà gemmis auróque rigentes
Tergeminas mittit pallas, recoquentibus olim
Quas fulgens rutilis Melibæa immersit ahenis.
Hoc quoque flameolum, & sparsos retinentia crineis
Vincula, Mæoniámque aurato vertice mitram.
Hæc quoque Erythræis contexta monilia baccis,
Rex donat vinctura tuam diademata frontem.
Te maiora manent, Domini simul inclyta caros
Amplexus Regina petes, Sociósque iugalis
Accendet geminis animos Concordia tædis.
To. *Munera grata mihi. At tantis, Rex maxime, dignas*
Nostra vtinam esset opis meritis persoluere grates.

Vicisti, victísque ingens tua gloria, Cyre,
Massagetis; sed quanta tuì victoria? victis
Non modò non parcis; sed iniquâ sorte peremptum,
(Absoluo te, Cyre), attollis honoribus hostem.
Dij pia facta vident. Sic quâ Rex omnibus ânteis,
Hæc noua te Cœlo indigetem Clementia donet,
Hæc modò, quæ me antè indomitam Clementia vincit.
Vicisti Natum ferro, pietate Parentem,
Quæ tibi se suáque imperijs permittit, & ipsam,
Quandoquidem immeritam thalami dignaris honore,
Haut equidem piget inuitam parere, fidémque
Æquâ æquare fide, atque alternis ignibus vri.
Colloquium posco; intereà cessetur ab armis.
Hæc, Legate, tuo Regi mandata reporta;
Húncque simul Scythicis effossum adamanta cauernis
Jurata referes fidei, thalamíque futuri
Argumentum ingens, atque irreuocabile donum.
Hanc & Amazoniam pharetram, horrentémque sagittis
Sarmaticis. Flexúmque adductis cornibus arcum
Hunc habeat, Tomyrísque latus quô cingitur, ensem.
Nec tu etiam mihi non aliquo donatus abibis
Munere, sancte Senex, cuius facundia bello
Certantes geminas valuit coniungere gentes.
Accipe virgata hæc Hyrcanæ tergora Lyncis
Opportuna tuæ sunt velamenta Senectæ.

Accipe & hunc puro qui fulget acinacis auro,
Húncque arcum ac pharetram; Scythica ſunt munera gentis.

ARS. *O! quantas tibi pro tantis, Regina, rependam*
Muneribus grates: ſed nec contendere tecum
Eſt animus: noſtris, Iuro, hæc infixa medullis
Semper erunt, neque me ſera horum obliuia fallent,
Noſtra licet Stygijs hebetentur pectora lymphis.

ZAMOLXIS. TOMYRIS.

QVO' tibi mens, Regina, abijt, quam perfida blandi
Dicta Oratoris potuerunt vertere? ſic te
Mulceri aucupijs pateris, laudúmque doloſis
Carminibus deludi aures, animúmque moueri
Muneribus? quò priſca abijt conſtantia mentis?
Non aliter tua ſtare illò niſi fœdère Regna
Poſſe putas? tantus ſceptri timor? aut tua tanta
Intima coniugij torrerent pectora flamma?
Hactenùs externos quid Regum odiſſe Hymenæos,
Regia cùm ſtreperet ſine more potentibus olim
Aula procis, primos teſtata Scytharcin amores
Secum Acherontæos functum abduxiſſe ſub amnes?
Quò pudor, & ſancto Sacra ara extructa PVDORI,
Impia quam violas? cuius modò iura reſoluis?
Quòd ſi nulla manent veteris veſtigia flammæ,

Et toto expulerit tibi pectore Persa Scytharcin
Spargarpisæ subeant crudelia funera, cuius
Relliquias fidi pignus tibi misit amoris.
Hæ sponsalitij sanctæ sunt fœderis arrhæ
Sanguineum Nati caput, atque insontia crudos
In cineres data membra, & tristi condita in vrna.
Quinetiam firmata fides adamantis amico
Munere? cerne acies, cerne exsultantia bello
Pectora Massagetûm, & lætum ostentantia pugnæ
Auguria euentum. Quid tu, Regina, sine hoste
Vinceris?
TO. *Quid te importunis, Vates, clamoribus vltrà*
Interpellantem placidas fero longiùs aures?
Inscius es, quo me ingenio Natura creauit,
Fœmineis quantásque animis infuderit artes.
Macti estote animis. Hæc lux, mihi credite, testis
Fœmineæ virtutis erit. Vos vltima Nato
Funera Amazoniæ intereà celebrate Puellæ;
Quásque negat lacrymas Genitrici tempus & ira,
Reddite; longè alios reduces soluemus honores.

CHORVS
AMAZONVM.

TVNE hàc, Spargapises, funestâ conderis vrnâ?
Hoc de te superest
Triste hostis donum Matri; tibi triste supremi

Funeris officium?

Corporis eximium hunc florem! hoc illustre Iuuentæ
In cinerem isse decus!
Quæ tam inimica manus roseâ ab ceruice reuulsum
Messuit ense caput?
Quæ tam inimica manus teneros feralibus artus
Ignibus imposuit?
Quæ legere ausa manus, solâ, de more, Parentum
Ossa legenda manu?
Hoc Persa officiò probrum velauit; at in te
Quid, miserande Puer,
Sæuior hostili innocuos mucrone resoluis
Pectoris ipse sinus?
Quod scelus, aut quod grande nefas vlcisceris in te,
Sanguine quod redimis?
Nulla, Puer, tua culpa fuit. Qui fallitur, insons; "
Qui fallit, reus est. "
Aut si culpa fuit falli vlla, hæc culpa tuorum
Quanta est cumque Ducum.
Sed neque culpa vlla est; sunt hæc discrimina belli,
Et dubiæ Martis
Fortunæque vices; sic Mars, Fortunáque certa "
Incertis mutant. "
Nec quos speramus, semper suscepta sequuntur "
Consilia euentus. "
Prima tibi fuso victoria cesserat hoste;
Hoc virtutis opus.
Ast tua Massagetûmque dolo simul obruta virtus.

Fortunæ

Fortunæ hic ludus.
Sed tibi quanta fuit iustò hostem vincere Marte.
Gloria, tantum illi
Téque tuósque suis circumuenisse iacentes
Artibus opprobrium.
Sed peccasse putas, non præcauisse dolosas
Medorum insidias.
Error inexpertæ fuit hic, hæc culpa iuuentæ,
Quæ solitum rapidi
Turbinis in morem abripitur, quò feruidus æui
Præcipitem ardor agit.
Qualis Sarmaticis vix matri abductus in aruis
Indomito sonipes
Ore furit, frænósque abicit, retinacula soluit.
Ille altos superat
Fulmineo montes cursu, torrentiáque intrat
Flumina, nec vastos
Vndarum exhorret fremitus, seséque profundis
Credere gurgitibus
Gaudet, & in strictos, si quisquam obiecerit, enses
Irruit impauidus.
At neque dum falsum detergis sanguine probrum,
Túque inimico animam
Eripis ense tibi, mœstò altum corde dolorem
Tollis Massagetis.
Tu lux, tu Scythicæ spes optatissima gentis,
Spargapises, fueras:
Atque hæc, te rapto eripitur, fortíque labantem


Sola fouet contrà
Fortuna, & saui tela aduersantia Martis
Stans genitrix animo.
Illa tua nostris generosa gloria forma
Itque redítque oculis.
Diuina hinc altum frontis decus obuersatur:
Hinc gemina radiant
Sidereo splendore faces, roseóque refulget
Igneus ore color.
Purpureo inde genis suffusus sanguine candor,
Flauáque cæsaries,
Cæsaries solita ambrosios errare per armos
Fulgore aurum æquans.
Quam velit esse suam, positâ, qua tempora circum
Ludit, Apollo comâ,
Quam turbare suis blandi leuioribus auris
Lætantur Zephyri,
Inque nouos torquere sinus, & sponte retortis
Stringi optant laqueis.
O! nisi lanificæ secuissent prima Sorores
Vitæ fila tua.
O! si exspectata implesses ventura iuuentæ
Tempora, Spargapises?
Optatûmque genis decus, & rosei oris honorem
Spectasset Genitrix?
Ipse animis tibi bellipotens, tibi viribus ipse
Mars cessurus erat.
Cui iam robur erat tenero maturius æuo,

T

Maioréſque animi,
Et feſtinatæ puerili in corpore vires.
Iámque vir in Puero.
Seu Lacedæmoniâ verſares membra palæſtrâ,
Commiſſus paribus;
Seu tigres curſu aſſequeris certíſque Leones
Tranſadigis iaculis.
Seu luctantis equi duro moderanda lupato
Ora; vel obliquos
Hic lorô modulum inter erat torquendus in orbes;
Aut mittendus aquis;
Aut laxis ſtanti totô effundendus habenis
Æquore fortè foret.
Aut tua non vnctis ſi tranſmittenda lacertis
Flumina, Araxe pater.
O! qui Sarmaticis tantum decus eripis oris
Perfide Achæmenides,
Hæc iuſti paria infidæ tibi præmia fraudi
Cælicolæ referant.
Quâque tibi cepiſſe fuit Scythica agmina, ſit fas
Te capere arte pari.
Fas tamdem rabidam quâ flagrant ora, cruore
Exſtinxiſſe ſitim.
Fas ſobolem vlciſci Matri, fas dira ſuorum
Funera Maſſagetis.
Fas vndis longi impoſitum tibi pontis, Araxes,
Excuſsiſſe iugum.
Dij facite, audentíque animos firmate Parenti

Massagetûmque alacres
Acriùs inflammate acies. Tu debita sanctis
Manibus intereà
Quæ ferimus, Pie Spargapises, cape munera, flores;
Lilia purpureis
Mixta rosis, violas, & pallentes Hyacinthos
Accipe sunt aui
Munera digna tui, & cinerum hæc sacramus ad vrnam.
Hæc quoque Achæmenidûm
Victoris circùm ferali implexa cupresso
Tempora laurus erat.
Atque, vt Te, omnis abit nobis, abeunte, voluptas,
Hæc quoque perpetui
Quæ tela, & quos ad cineres dirumpimus arcus,
Signa doloris erunt.





ACTVS V.

CYRVS. CYBARES. BAGOPHANES.



ONDVM quippè satis feralibus vltima monstris
Iam toties capiti exitium obstentasse libido
Vestra fuit, Superi, necdùm satis horrida menti
Somnia? non trepidà simulacra minantia nocte?
Non tristes pecorum fibræ, fugitiuáque ab aris
Victima, & horrendis latos mugitibus implens
Taurus agros, læuâque cadens Mithræ hostia parte.
Nec mea quæ implexis religabat Regia nodis
Vitta repentino nudauit tempora casu;
Nì quoque nunc mediâ cæli rubuisset in æthrâ
Crine minax, flammásque vomens pleno ore Cometes
Persica sanguineis sparsisset castra fauillis?
Si necdum satis? æthereas dirumpite sedes.
Vnum in me effracto ruat in me fornice Cælum.
Oppresso incumbat mundi ardua machina Cyro.

Ille Asiæ domitor, Libyæ pauor, & trepidæ horror
Europæ, quem iam totus Dominum adspicit Orbis,
Miratur, colit, & pronus sua iussa capessit.
Qui Scythiam tenet, æthereis terroribus horret.
Quanta, aliò si, Cyre, nequis occumbere fatò
Gloria erit mundi obtritum iacuisse ruinâ?
Principis expetitis caput? extremúmne nocentis
Exitium populi? quota pars sumus? & quota gẽtis
Persa meæ? Sed quæ tanta inclementia vestra est?
Ignotâ ergo cadam caussâ? sic, Cyre, peribis?
Tótque emptas tanto Persarum sanguine lauros
Auferet vna dies? credam liuescere Diuos?
Terreret Superos Cyrus, domitóque supernas
Orbe polorum animo hunc sedes agitare pauerent?
Tuta Ioui sint Regna, Deos regat, imperet Astris.
Sint Cyro sua tuta, homines regat, imperet Orbi.
CYB. *Est benè, quid metuis?* CYR. *Sed quæ tam sera*
Dimantem
Intentum Superis retinet mora? BAG. *Delitet antro.*
CYR. *Extrahite inuitum latebris, rapite ocyùs, aulâ*
Sistite, quæ sanam vertit dementia mentem?
Ni. quantas tumido iratus sub pectore flammas
Cyrus alit, summo capitis discrimine discet.
CYB. *Insani tanti tibi sunt mendacia vatis?*
CYR. *Prodere quæ didicit, refugit, cui Numina læuis*
Proxima monstrârunt vitæ infortunia signis.

DIMANTES. BAGOPHANES.
CYRVS. CYBARES.

QVO me? B. perge. D. heu? me. B. quæ te mala vexat Erinnys?
D. O! me vtinã. B. quid tu? D. me me cœlestibus antè
Me me, si qua meì pietas, me me, alme Deorum,
Ignibus antè, Pater, Stygios detrude sub amnes
Quàm. CYR. Furibunde taces? iussus non ora resoluis?
At gladio reserabo. DI. O! Rex. CYR. Arcana Deorũ
Exprome; aut. DI.
CYR. Famuli ignitis latera vrite tædis.
BA. Verberibus, flammis, ferro, cruciatibus, vncis,
Pectore quæcumque abscondis secreta sub imo
Inuitum reserare dolor præcordia coget.
DI. Eloquar? CYR. Eloquere. DI. Effari ne coge, tacere
Quæ grauior suadet metus. CYR. Ante te Principis ira
Non terrent, insane? DI. Mori si præcipis, ingens
Gratia mortis erit, cuì sit modò viuere pœna.
CYR. In pœnam sic te volo viuere. DI. vísne silere?
Hoc te ego per magni supplex rogo Numina Mithra,
Pérque tuum, Rex Magne, caput, Natíque salutem.
CYB. Hoc quoque te Cybares rogat, hoc cõcede roganti
Mitte futurorum incertos exquirere casus.
Et placidam ancipiti mentem torquere pauore.

Vltrò quæ fugimus, cura importuna malorum est. "

CYR. *Perfide, ter magni testor sacra numina Mithræ.*

Regibus intemerata alti sacra numina Mithræ.
Testor & æternæ immortalia semina Flammæ,
Nî tacito retegas arcana latentia corde,
Quid non? non capite, infami non stipite pœnas
Non flammis, fidibúsque lues, non pelle retectis
Artubus, aut arcto viuus clauderis in vtre.
Te grauiora manent. DI. *Non me hæc tormenta mouerent;*
Imperijs plus quàm pœnarum horrore moueri
Posse tuis me, Rex, credas: sed promere cogis,
Quæ nesciisse voles. mala quis placidâ audiat aure?

CYR. *Ignorata abigi nequeũt mala, cognita possunt.* "
Te nostræ sinerem auguria occultare salutis?

DI. *Sed placidâ aure, simul forti cape pectore fata.*
Non procul Assyriæ quò formidanda cohortes
Castra iugo excelsi montis posuère sub imo,
Vmbrosa horrescens inter virgulta profundo
Alta sinu spelunca iacet: Non flammea Solis
Hanc lampas radijs penetrat, seu lentus Eois
Surgit, Atlantæis seu præceps mergitur vndis;
Hanc trepidus subeo; dirò atræ horrore tenebræ
Terruerant, sensíque metu riguisse capillos.
Atque vbi feralis pressi vestigia tecti
Nudo caput, vestem succingo, pedem exuo vinclis,
Incomptúmque humeros circùm diffundere crinem,

Cura

Cura fuit, mœstâque caput circumdare taxo.
Tum fossâ tellure super, feralibus ignes
Abreptos accendo rogis, nigróque bidentes
Vellere, & obscuro medijs lectas armentis
Tergore macto boues. verso sub tristia retrò
Protractas spelæa gradu: prædatur opimas
Flamma dapes, viuis trepidat pecus ignibus ardens;
Cui veteris super infundo carchesia Bacchi,
Vernantísque recens munus permisceo lactis,
Actæosque imbres quantum bibit arida tellus.
Horrendâ inde voco vulgus ter voce silentum,
Ter Dominum vmbrarum, ter consortémque iu-
galis.
Persephonen thalami inclamo, Noctísque profunda
Numina, tergeminæque ora inconstantia Diuæ.
Ecce autem mugire solum, tremere antra tumultu,
Tartareúmque Chaos pandi, & telluris opaca
Viscera disrumpi. Stygio tunc exsilit vmbra
Missa lacu, talésque exili è pectore voces
Edidit.
Impie sacrilegis qui sollicitare quietos
Carminibus Manes rursúmque vocare sub auras
Ausus es, ipse hodie Stygium rapière sub Orcum,
Et profligatas cæso cum Principe turmas
Auersâ adspiciet periturus lampade Titan.
Dixerat, vt Socijs subitò se immiscuit vmbris,
Occlusâque super nigros tellure recessus
Prona Acherontæas fugit indignata sub vndas.

V

CYB. *Delirum audisti vatem, quæ somnia fingat?*
Mitte senem, Tomyrinque iube contrà arma moueri.
Si quem fortè optat Regem implacabilis Orcus,
Massagetæ cupidum satiet modò sanguine pectus.
DI. *Interijtne Scythes?* CYB. *Fruitur Proserpina sponso.*
DI. *Securos iam tolle animos, timor omnis abesto,*
Cælorum cessère minæ, terroris abundè
Irarúmque satis, placari sanguine Regis
Optabant Manes; casò iam Rege, litatum.
I modò castra moue, Scythicas inuade cohortes.
O! quantos Scythicæ victrix tua cadis aceruos
Dextra dabit? nam sic tibi, Rex, felicia spondent
Omina, inundanti totum te sanguine mersum
Adspicio, & rubras mutatis fluctibus vndas
Mæstum agere, ac rapidos immani strage Scytharum
Tardiùs Hyrcanum versùs rapere æquor Araxem.
Hei! mihi, quòd non te sim spectaturus ouantem.
Nam mea lanificæ Scythico certamine Diuæ
Fila legunt. Saluò dulce est mihi Principe letum.
CYB. *Quid moror aduersum stricto transfigere pectus*
Ense tibi, delire senex? non fallere Regem
Cessabis tamdem, & vanis deludere verbis?
In te vera vnum firmabo oracula; nè te
Mentitum tua saltem in te mendacia damnent.
CYR. *Incolumem seruate senem. Sed prode minaci*
Quid portendat atrox visus modò crine Cometes.

Vidi ego ſanguineis perfundi caſtra fauillis,
Dum greſſum moueo, primóque in limine ſigna
Attolli iubeo.
At legatus adeſt. Pugnandum eſt, Arſaca?

ARSACES. CYRVS. DIMANTES. CYBARES.

PVGNA
Nil opus, hàc bellum confeci luce, Scythiſſam
Et verbis vici, & donis immania flexi
Pectora. Nam quas non expugnēt munera mētes? "
Hæc eadem hunc Scythicis effoſſum adamanta ca-
uernis
Iurata mittit fidei, thalamíque futuri
Argumentum ingens atque irreuocabile donum.
Hanc & Amazoniam pharetram horrentémque ſa-
gittis
Sarmaticis, flexúmque abductis cornibus Arcum,
Hunc offert, quemque illa ſuo lateri abſtulit, Enſem.
CYR. *Has gratò intereà quas ſoluo pectore grates,*
Qui mea tam fauſtò mouiſtis cœpta fauore,
Soluiſtiſque adeò ancipiti diſcrimine vitam,
Cœlicolæ accipite, & felici claudite caſu
Occultas quas ſtruxi animis muliebribus artes.
Sed modò conſpectò haut mens eſt ſecura Comete.
CYB. *Quid te ſollicitum teneant cœleſtia monſtra?*

Vade age, & ætheréas, quà faustum expansa per
æquor
Carbasa propellunt, sequere imperterritus auras.
Di. *Quem modò in æthereis vidisti ardere Cometam*
Sedibus, & claros diffundere crinibus ignes;
Hæ fulsère faces thalamis; hâc conscius æther
Fausta maritalis cœlo dedit omina nexus.
Ar. *Obuia compositis occurret protinùs armis.*
Cyr. *Huc Halyattiaden Lydum, Natúmque vo-*
cate.
Persidi, dum Scythiâ potior, dum longiùs arma
Profero, dimissô Crœsô & Cambyse, cauendum.

CYRVS. HYSTASPES. CAMBYSES. PERSAE. CYBARES. CROESVS.

Croese *etiam in tantis rerum successibus*
æquum est
Persidi prospicere; vlteriùs quid tendo? parata
Si labi patiar sectans aliena; paraui
Persica Cambysi Nato, non sceptra Dario.
Hyst. *Parce meum, obtestor Rex, insimulare Da-*
rium.
Parce & Achæmeniæ decori intolerabile gentis
Perfidiæ exprobrare scelus; quàm falsa timoris
Suspicio mentem exagitet, qui pendulus hæret
Læuo ensis lateri prodet, Natúmque Patrémque,

Quando reum Nati crimen facit esse Parentem,
Absoluet, statuétque Patris tibi sanguine Regnum.
CYR. *Viue memor fidei. Medium te hic sistito, Nate.*
Huc date Achemenij veneranda Insignia Regni.
CAM. *Quò me Magne vocas Genitor? primoribus annis*
Tantíne opprimere est animus me pondere Regni?
CYR. *Sic ego, Nate, tuam Persarum adstante corona,*
Regali Genitor cingo Diademate frontem.
Longò etiam hunc circumdo meum tibi Syrmate Candin.
Hoc quoque Achæmenio pariter tibi acinace læuum
Armo latus, lato quem circumplectitur auro
Baltheus, imperijque decus digito insero gemmam.
Regali reside solio, patrióque iacentes
Te Persæ de more colant, Regémque salutent.

PERSAE CAMBYSEM
Regem venerantes.

R*EX VIVE, atque tuis patrias virtutibus artes*
Longè olim exsupera. Tibi Nos, Nostra omnia, Natos,
Consortésque tori, vitam, armáque subdimus vltrò.
CYR. *In clypeum ínque humeros sublatum Persica circum*

Ducite castra, strepant litui, festòque tubarum
Omnia concentu resonent, lætúmque triumphans
Clamet Io *miles*, Vivat Rex, *clamet*, Io*que*
Ter clamet. Magni Cambyses *sceptra Parentis*
Suscipit & Regno dignus, dignúsque Parente.
In magnos populi gaza effundatur aceruos.
Æternos lux hac Persis celebretur in annos.
Persae. *Sic erit.*
Cyr. *Sic igitur Regnum Nato, Natúmq; relinquo,*
Crœse tibi. Quàm grande tua rarúmque locamus
Depositum fidei, non te fugit. Accipe, saluúmque
Incoluméinque suis Regem redde illicò regnis.
Cr. *Si fida tibi nostra fides, Rex maxime, semper*
Consilijs firmata fuit, spectatáque in armis
Gloria, curabo Natum, officiúmque Parentis,
Non custodis agam tantùm; sic spondeo, iuro.
Et Regis testor caput, æternámque salutem.
Cyr. *At tu solliciti cura vnica, Nate, Parentis,*
Qui timidum solus Patrem facis, hac mea dum te
Supremò stringo amplexu, atque hac vltima labris
Oscula libo tuis, prudens mandata capesse.
Vtere consilijs Crœsi, Cyróque secundum;
(Si qua fides nostris monitis) venerare Parentem,
Cam. *Cur non te, Pater alme, sequor, nec sub tua victam*
Vincla trahi Nato fas est spectare Scythissam?
Hoc concede, Pater, liceat mihi viuere tecum,
Tecum etiam, si fors fatales funera Nati

Et Patris iunxère Deæ, hanc abrumpere vitam;
Et tecum pariter Scythicis occumbere campis.
Quid me abigis? potiùsque alienis viuere Natum
Quàm Patris arbitrijs cogis? spectasse Parentem
Cambysi sat erit. Magnorum exempla Parentum "
Fortiùs impellunt Natos, & pectora mulcent. "
CYR. *Macte nouâ virtute, Puer, modò cedere Patris*
Sit satis imperijs; Puerum hinc Crœse, ocyùs aufer,
Et faustis Scythicum alitibus transmittite flumen.
In pugnam, Hystaspes, aciem dispone, dolosis
Sic vbi principijs festiua acroamata, mimos,
Et saltantum agiles iuuenum præmitte choreas.
Vos, dum progredimur, Scythicaque occurrere sponsa
Gestimus, lætis faustos modulis Hymenæos
Concinite, atque leues saltando agitate choreas.
Conticeant litui, cessent horrenda tubarum
Murmura, sola strepat festis Berecynthia castris
Tibia, & argutos resonent crotala ærea cantus.
Dicite IO PAEAN, & IO *ter dicite* PAEAN,
Vicimus, & nullô victoria sanguine parta est.
Iunguntur Socijs Cyrus Tomyrisque hymenæis,
O! Hymen, ô Hymenæe, Hymen, ades, ô Hymenæe.

TOMYRIS.
Cum exercitu.

ACHARSIS. HYSTASPES.

TEMPVS adest, Socij, quò ferrô animísque probanda
Nostra fides Tomyri est, non extera quærimus armis
Regna, sed instantes Scythicis propellimus hostes
Finibus, & turpi cæsos vlciscimur astu
Massagetas, castrísque hostilibus interfectum
Spargapisem. Stygio ipse suos gemebundus ab Orco
Poscit Achæmenio placari sanguine Manes.
Iam iam ad nos passis victoria deuolat alis.
Irruite, opprimite, incautísque irrumpite castris.
Nulla acies, nullúsque instructi militis ordo.
Dispositis fera clusa plagis sese induit vltrò.
HYST. *Occidimus! Queis Massagetam intercepimus, ijsdem*
Insidijs premimur: sic ars deluditur arte.
Pugnate, & totis obsistite viribus, altis
State animis, pulcrúmque mori succurrat in armis.

PER-

PERSAE.
Ad internecionem cæduntur.

TOMYRIS.

HOC Persæ voluère. Sat est. Quidnam amplius? vnus
Tantâ animam retineret adhuc dè clade superstes?
Quis superest? summo tentate cadauera ferro.
Tollite si quidquam est animæ. Sed parcite. Vitæ,
Pœna esto, siquid reliqui est. Sed debita Cyri
Gratia reddatur pietati; hic vltima Nato
Reddidit officia, ipse pari decoretur honore.
Ite citi, atque inter dispersa cadauera, cæsi
Quando æquum est, Regis sacrosanctum tollite corpus,
Abscissúmque humeris caput ense reuellite: ferte.
Hoc ego Achæmenio mergam bene grata liquore.
Spargapisæ has referet supremô munere grates.
Vos læto intereà celebrate Epinicia cantu.

CHORVS
MASSAGETARVM.

DICITE Io PAEAN: *ter* Io *ingeminate*
TRIVMPHE.
Dicite Io *ter* Io.
Lætitiâ exundate Scythæ. Festúmque virenti
Cingite fronde caput.
Vicimus, & latè Scythicis procumbit in agris
Fusus Achamenides.
Et qui Sarmaticô quærebat sanguine lauros
Obrutus ille suô
Iam iacet, & tantâ vix vnus clade superstes
Æquore stat totô.
Vidimus innumeras acies radiantia cœli
Æquantes numerô
Sidera, tot spolijs populorum & stragibus auctas
Procubuisse solô;
Cúmque opibus totô raptis Oriente cruentam
Euomuïsse animam.
Vidimus & nostris congesta cadauera campis
Massagetûm gladijs;
Quæque superpositô violarat flumina ponte
Tarda cadaueribus
Lentiùs in tumidas Hyrcanæ Tethyos vndas

Euoluïsse sinus:
Quis Deus hæc? tuáne hæc Medi vindicta tyranni
Cœlicolûm alme Parens?
Nam licet erumpant miseris capita impia terris "
Iuráque dissoluant "
Omnia, & illò abeant, quò vis immanis habendi "
Ambitióque rapit. "
Non tamen illa diu pateris furere; at simul altò "
Culmine Fortunæ "
Consedisse putant, trifidò tum fulmine ad imum "
Detrudis barathrum. "
Testis erit, totum horrendâ qui cæde cubile
Polluit Auroræ;
Qui modò Massagetûm iacet exporrectus in aruis
Terrarum ille pauor;
Ille Orbis prædo, Scythiæ nunc præda, tuúmque
Grande decus, Tomyri, est.
Terrarum decus, ô Tomyri, imperterrita Amazon,
Raráque fœminei
Lux generis, Scythicæ columen tuteláque gentis,
Fortes vna tuâ
Exsuperans virtute viros Herois? ô æquâ
Quis tua voce canat
Fortia facta, nouúmque decus super aurea dignis
Laudibus astra ferat?
Quis non Persarum obstupuit, tot corpora leto
Dum tua dextra daret?

Dum densas Equitum turmas, Peditúmque cohortes
Demeteres gladio?
Quæ quoties arcum tendis, quot spicula torques,
Tot cecidère hostes.
Dicite Io PAEAN, *ter* Io *inclamate* TRIVMPHE,
Victricem Tomyrin
Carminibus celebrate Scythæ: iam plena recepta est
Vltio Spargapisæ.
Spargapisæ inferias dedimus. non cymba Charontis
Vastáque Tartarei
Aula Ducis, Stygiúmque Chaos, Scythico æquore fusos
Non capit Assyrios.
Innuba circumeat, Tomyris, tua tempora laurus,
Cæsæ vltrix sobolis.
Tu Patriæ vna Parens, libertatémque labantem
Firmas Massagetis.
Te canimus, quantásque licet tibi soluimus omnes
Pro meritis grates.
Libera quòd Scythia est, quòd liber Sarmata, virtus
Hæc Regina tua est.
Liber in Hyrcanum quòd aquas rotet æquor Araxes
Hoc Regina tuum est.
Viue diu, Regnáque diu, longâque Scytharum
Sceptra manu retine.
Omnibus vna viris maior, regere vna potentes

Fœmina digna viros.
Dicite IO PAEAN, *ter* IO *ingeminate*
TRIVMPHE.
Victus Achæmenides
Fœmineâ virtute iacet, quódque icta Thyonei
Cornibus atque virûm.
Perdiderat temulenta cohors, hoc sobria Regnum
Fœmina restituit.
Sed Regina redit, saturatum sanguine vibrans
Persico adhuc gladium.

TOMYRIS.

P*ARCITE Cælicolæ, incertô fluere omnia casu*
Hæc si animo diuturna meo sententia sedit.
Nam quæ certa fides hominum, quæ sancta Deorum
Relligio humanis nullô labefacta timoris
Crimine pectoribus staret? regnare Tyrannos,
Vexari Reges dum versô examine sanctæ
Justitiæ adspicerem? prædatorémque remotis
Regnorum obijcibus Persen impunè per Orbem
Grassari, horrendísque Eoas perdere terras
Cladibus; Immensæ cui nec diffusa furentem
Regna Asiæ possunt dominandi exstinguere flammam;
Nullos esse Deos rebar, quos si esse fateri

Sidereæ admiranda plagæ ſuaderet imago,
Suaderent varij Phœbes Phœbíque recurſus,
Vmbroſæ tenebráſque fugantia ſidera noctis;
Suaderétque ſtatis concluſum finibus æquor,
Atque rudis circum tumidò vincta æquore tellus,
Ponderibus ſtans aqua ſuis; hæc omnia nullò
Numine curari mens obfirmata negabat:
Cuncta ſed ambiguò ferri mortalia caſu.
At ſimul ille meis cecidit prædo impius armis,
Tótque cruentatos cerno exporrecta per agros
Agmina, nec tantâ ſupereſſe è clade vel vnum.
Vos ego Cœlicolæ abſoluo, nec culmine tantò
Conſediſſe queror Perſam, quem verſa repentè
Præcipitem Fortuna dedit. Iam Cyrus Eoas
Edomuiſſe plagas, Aſiæ regna ampla potentis
Imperio adiunxiſſe ſuo, totò orbe canatur.
Grande decus Perſæ, fateor. Tua quanta futura eſt
Laus Tomyri, Eoi longè melioribus armis
Victorem viciſſe Orbis? ſed gloria quanta
Fœmineâ cecidiſſe manu? hoc hoc audiat Orbis,
Hoc facinus venturi ingens audite nepotes.
Ille ille, ille Orbis domitor, tot fortibus ille
Medorum agminibus metuendus, victus, inanis
Fœmineâ virtute iacet Scythico æquore truncus.

PROXASPIS. TOMYRIS. ALAZO. BAGOPHANES. PVERI CYRI.

EN, *Regina, caput totâ tibi mente petitum.*
TOM. *Illius ?* PR. *Ipsius. Rorantem sanguine cristam*
Et circumplexum galeam diadema micantem
Adgnosce, atque aureum varijs thoraca retusum
Perfossúmque locis, auróque ancile coruscum;
Illud, quô medias ardentem vidimus inter
Massagetûm pugnare acies. Suô acinace truncum
Sanguineâ hoc Regis caput ab ceruice reuelli.
En Cyri & Pueros, Præfectúmque intima Regis
Curantem quondam, quos inter cæsa latentes
Corpora, & exanimis proiectos antè cadauer
Deprendi Domini, indicijs quorum anxia certâ
Mens firmata fide inuentô stat corpore Regis;
TO. *Viuunt ? nec Domino socia hæc portenta dedistis ?*
Opportuna meis verùm hæc erit hostia sacris.
Spargapisa facere institui, inferiásque coæuâ
Pube dare; hostili saturentur sanguine manes.
Spargatur Pueri puerorum cædibus vmbra.
BAG. *Regina, insontis turbæ miserère ? quid in te*
Imbelles potuère manus ? miserère ? nec ingens
Quod tibi iusta decus peperit victoria, cæde
Pollue, & innocuo victrices sanguine lauros.

TOM. *Ocyùs abripite hinc ſontes, non plena dolori*
Materno vindicta data eſt. non funditùs hoſtis
Occidit, è tantâ ſi quis ſit clade ſuperſtes.
BAG. *Non vitam, Regina, mihi rogo, viuere functô*
Principe pœna foret; Pueris rogo, Perſica ſontes
Quos ſi cauſſa facit, veniam ipſa merebitur ætas.
TOM. *Quà furor vrget, eat; ſons, inſons Perſa, vir, infans,*
Si vel Achæmenijs reliqua eſt modò fœmina caſtris
Occidat. PV. *Infantum non te, Regina, moueret,*
Quod reliquum fecit gladius, miſerere precantum.
TOM. *Quid moror? aut vanis Puerorum vlulatibus aures*
Longiùs obtundi patior, quin protinùs omnes
Inferiæ Nato dantur? ſed Regia Regi
Victima debetur. Viuítne? an cæſa iaceret
Cyri progenies? animi hæc reſtinguere anhelas
Vna poteſt flammas. BAG. *Patrios repedare penates*
Hanc iuſsit Pater, antè ſuas quàm in veſtra moueret
Caſtra acies. TO. *Raptô ſoboles ſic ſalua Parente*
Euaſit? non eſt caſô victoria Patre
Integra, nî Patris ſoboles quoque fata ſequatur
I, Sequere, incautúmque Noto, Proxaſpi, Puellum
Ocyùs aſſequere; aut viuum, aut mihi reddito functum.
PVE. *Per te, pérque tui ſanctos Regina, precamur*

Spargapiſa

Spargapisæ Manes, miserêre. To. *Abducite nostris*
Infantes oculis, durò obfirmata dolore
Pectora iam frangunt, lacrymísque incensa tepescit
Ira, hærétque animus quid agam, miserebor? at ægra
Spargapisæ umbra mei Elysijs reclamat ab antris;
Iram acuit, poscítque hostili sanguine Manes
Placari. Innocuis, Regina, ignosce Puellis.
Tu rapti letum Genitrix ulciscere Nati.
Ite igitur, Domini impuros mactate ministros.
Reginæ absoluit Pueros clementia; Matris
Sed damnat dolor, & iusti vindicta doloris.
Verùm animo cede ira; Infantum sanguine Nato
Non faciam; humanô nunquam rubuère cruore
Spargapisæ ora meo. Nullô vos sanguine puri
Aspergam Manes; Pueris ignoscit; ego æquè
Ignosco; Cyro faciam, meritúmque rependam
Funus Achæmenio repetenti iusta Tyranno.
Spargapisæ Assyriò caput altè immersit amomò.
Mactate Infantes turpi excipite utre cruorem.
Fas Cyri siccos satiari sanguine Manes.
Al. *Dimitte incolumes Pueros, qui nuncia tantæ*
Cladis in Assyriam referant. To. *Scythicósne vereris*
Ne fama haut fines præterlabatur? & altas
Assueta rapidos pennis preuertere ventos.
Fortè Deæ patrius ripas opponat Araxes?
Audiet hoc tepidus Ganges, hoc frigidus Ister,
Audiet, & terras quæ terminat ultima Thule.
Ampliùs immò aliquid faciam, quod nulla tacebit

Posteritas, damnet licet. Indulgere dolori
Quis vetet iratam matrem? AL. *Non stragis abũdè*
Hostis vbi nullus superest? TO. *Sit stragis abundè*
At non Matri ira. AL. *Non vltimus vltima Persa*
Cædes, finis erit vindicta? TO. *Porgite Regis*
Infandum caput, vndantémque cruore suorum
Ferte vtrem. Faciam? quidni, faciam. Ista sit hosti
Gratia, sit Matri parta vltima gloria palma.

FAVCIBVS HVMANVM HIS, ET INEXSATVRABILIS ALVI
IMMANI INGLVVIE SITIEBAS, PERSA, CRVOREM.
NEC VIVVS FLAMMAM POTVISTI EXTINGVERE. FVNCTVS
IAM BIBE. IAM TOTO TE PROLVE SANGVINIS VTRE.



ΤΩ

ΑΙΔΕΣΙΜΩ Π. ΙΩ. ΕΡΡΙΚΩ

ΑΥΒΗΡΙΩ

Περὶ τῆς αὐτῷ ποιηθείσης τραγῳδίας

ΚΥΡΟΣ Ο ΚΑΡΑΤΟΜΟΣ Η ΑΚΕΦΑΛΟΣ.

Τὸ ἐπίγραμμα.

Ζωγραφίων ΧΡΗΜ' ΑΔΥΝΑΤΟΝ πάλαι Ωρος Απόλλων
Ζῶντα μὲν Ακέφαλον, καὶ Πατέοντα γλύφει.
Αδυνάτον δὲ δυνὴ ΑΥΒΗΡΙΒ, σοῖσ' ἐπέεσσι
ΚΥΡΟΣ Ο ΑΚΕΦΑΛΟΣ Ζῆ θ'ἅμα καὶ Πατέει.

Παῦλος Αρκτοῦρος ὁ Σεγυῖνος
ἐκ τῆς τοῦ Ιησοῦ Συμμαχίας.

IN CYRVM R. P. I. H. AVBERII.

QVI numerare volet plausus, quos, CYRE, *tulisti,*
Ille tuas numeret, MAGNA TOLOSA, *manus.*
Purpurei plausère Patres, PRINCEPSQVE *Senatus*
Ipse, cauâ visus plausum iterare manu.
Plausit Eques, plausère Tribus, manus omnis acutis
Plausibus, & festò concrepuère sonò.
Ergo, CYRE, *veni. Te tangere cominùs optant,*
Quæ Tibi plauserunt eminùs antè manus.

PAVL. ARCT. SEGVIN. S. I. R.

ΕΙΣ ΚΥΡΟΝ

ΑΙΔΕΣΙΜΩΤΑΤΟΥ

Π. ΙΩ. ΕΡΡΙΚΟΥ ΑΥΒΕΡΙΟΥ.

Ἐπίγραμμα.

Εἴπου πλημμυρέων ἀναβράσῃ αἵματος ἀσκὸς
Δίψιον, ΚΥΡΕ, τίαο μὴ ἐνεπεπλάσατο.
Ἢν ἴδῃ γενναίῳ φλέβα θερμαίνουσαν ἀχῶει
ΑΥΒΕΡΙΟΥ, οἴσει νόσφι κόρσιο κόρον.
Τοῦ μὲν ἄνευ μιαροῦ πόσεις μέλανα βρότον ἀσκοῦ·
Σοὶ τῷ Μουσάων Ἀμβροσίην ἀρύσεις.

Ιω. Βερχυνὸς Σ. Ιησοῦ Α.

AD CYRVM TRAGICVM.
R. P. I. H. AVBERII.

VIDIMVS *in Solio* CYRVM *regnare superbo,*
Qualis ab antiquâ traditur historiâ.
Cernimus in Tragico CYRVM *regnare theatro,*
Qualis ab AVBERII *prodiit ingenio.*
Infelix thronus est CYRO *bellique Quadriga,*
Et melior Castris Scena, Cothurnus Equis.
Ollì si Solium dederis, dederisque Theatrum,
(AVBERIVS *Scenæ quando Choragus adest*)
Malit in AVBERII *Rex Scenicus ire Theatrum*
Quàm Rex in Solium, Persa, redire tuum.

BALTH. CARELLVS. S. I. R.